

Regulus, in primum Aeneidos

Moschi, Bionis, Theocriti, Idyllia, aliquot ab Henrico stephano latina facta

Progne, Tragœdia


Duo Poemata, alter Jacobi sadoleti, alter Francisci stondrati

Mythologia, M. Antonij Tritonij

Sebastiani Reguli BRASICHELLENSIS

IN PRIMVM Aeneidos Virgilii LIBRVM

EX ARISTOTELIS DE ARTE POETICA, & *Rhetorica præceptis explicationes.*






DEMISSVS

COELO



AB ALTO.





BONONIAE,



Ex Typographia IOANNIS Rubei, in Via S. Mammoli. M D LXIII.



In Qvercvm Insigne Feltriæ Familiæ.

Feltria cur gestet domus hoc insigne, requiris?
Non temerè est: causam percipe multiplicem.
Aurea Saturni ueteris dum regna manebant,
Iis hæc una cibus gentibus arbor erat.
Indicat hæc igitur, proles quà Feltria regnat,
Aequanda hæc priscis secula temporibus.
Prætereà priscum solita est de more Quiritum,
Ciuem ob seruatum querna corona dari.
Hæc ergo apta Dvci est, ciues, patriamq́; tuenti:
Augustas stabat ceu priùs ante fores.
Denique quòd fortis nitens radicibus altis,
Præcipitis rabiem despicit illa Noti:
Quodq́; illi præest Devs is, qui præsidet idem
Regibus; & forti, & principe digna uiro est.

SEBASTIANVS REGVLVS
FRANCISCO MARIAE FELTRIO
GVIDVBALDI II. VRBINATIVM
DVCIS FILIO S. P. D.



AVLVS CASALIVS, *cuius à patre optimo uiro, & Senatore prudentissimo, cùm primùm ego in hanc urbem ueni, in domum suam receptus, quotiescunq; Bononiam reuertit (reuertit autem sæpissimè) à me officii mei causa cõuentus multa mihi de tua egregia indole, præclaris moribus, ac omnium artium, quæ ad humanitatem, & ad optimũ Principem instituendum pertinent, ardenti studio, libenter, ac iucundè narrauit: ex cuius uerè, atque ex animo sermonibus de te mecum sæpè habitis ad meã, maiorumq́ meorũ ueterẽ in omnes Vrbinatium Duces animi inductionem, ac propensam uoluntatem tantus in te studii, & obseruantiæ meæ cumulus accessit, quantum optimi Principis pueri summa spes, & signa singularis innatæ cuiusdam crescentisq́ in dies uirtutis certissima ad Principem amandum, & obseruandum afferre potuerunt: statimq́ in me sensi uerum esse illud dictum uirtute nihil pulchrius, nihil quod magis ad se amandum homines alliciat, quippe quæ in eorum etiam, quos nunquam uidimus, nos amorem*



rapiat. Nam tuæ istius uirtutis Casalii iucunda commemoratio me in tui admirationem, & amorem ità rapuit, ut, cùm mihi esset in animo explicationes meas in primum Virgilii Aeneidos librum edere, tu mihi in primis occurreris, cuius nomini eas dicandas censuerim, ut aliquod mei singularis in te studii, ac obseruantiæ signum extaret, quod si paruum, ac uulgare fortasse cuipiam uidebitur, is cogitare debebit, & uulgaria etiam, ac parua dona ab optimo animo profecta summo Deo, non dona ipsa, sed donantis animum spectanti, quàm gratissima esse solere. cui uerò nos aliquid dicatum uolumus, eum apud nos locum penè numinis tenere non est dubitandum: talem te mihi esse qui cogitabit, is & tenuitatem muneris mei mirari desinet, et undè mittatur, & qua de causa mittatur, & cur tua auctoritate, ac patrocinio munitum in uulgus prodire audeat considerans consilium hoc nostrum, ac qualecunq; sit munusculum, si non laudabit, certè non uituperabit. Quanquam si quæ in dandis muneribus spectanda præcipiunt Philosophi, hic spectabuntur, personæ tum dantis, tum accipientis, tum rei datæ ratio habita esse perspicietur: nam quid ego, qui omnem ætatem meam in studiis humanitatis consumpsi, aliud dare, uel possum, uel debeo, quàm aliquod politioris humanitatis monumentum? quod uerò magis proprium, magisq; præclarum doctrinæ, ac humanitatis munus, quàm ueterum, ac præstantissimorum Poetarum poemata explicare? ac illa ex præceptis artis poetices conscripta ostendere? quod unum ego hisce explicationibus meis efficere sum conatus: quod autem aptius munus est Principi puero ad regendos imperio populos

nato,

nato, & rei bellicæ, ac humanitatis studio dedito, quàm explicatio eius poematis, quod ipse in manibus assiduè habet; in quo effingitur uir optimus, & Princeps perfectissimus? ubi quibus uirtutibus, quibus artibus ornatum oporteat esse Principem optimum in Aenea: qua indole, quo ingenio, quibus moribus prædi tum, quarum rerum studio teneri Principis filium, ac Principem futurum in Ascanio Aeneæ filio, declaratur? & hæc omnia summa cum eloquentia, dicendi copia, ac orationis suauitate coniuncta traduntur, ut suo loco à nobis copiosiùs dicetur. quare, si rem ipsam spectemus, nihil tibi aptius, ac utilius hoc tempore do nari potuit: Nam ea tua persona est, cui hæc sint maximè apta, maximeq; necessaria. tu enim is es (ut initio dicebam) qui et ætate, & natura, & studio hoc munerum genere potissimùm delecteris, & in dicendi facultate, qua homo homini longè præstat, te te assiduè exerceas, cuius magnam, bonamq; partem ab optimorum Poetarum scriptis, & lectione percipimus, & huius maximè poetæ crebra lectione oblecteris, ut quantum cæteri aleæ, quantum intempestiuis conuiuiis, quantum in spectandis mimis, quantum in leuissimis fabulis audiendis temporis impendunt, tu tantum summi poetæ carminibus lectitandis, & illius dictis ad Principem optimè informandum pertinentibus memoriæ mandandis temporis ponas. Vnde & tibi sine inuidia laudem inuenis, amicos paras optimos, & ad id, ad quod natus es, hoc est ad optimè imperandum, & armis, & consilio cæteris omnibus præstandum maturè, & facilè te te comparas. nam cum Poetæ Heroici, & potissimum Virgilius canant laudes Deorum, atq; Herourn

roum rerum imagines, moresq; hominum, & actiones effingant ci uilis rationis magna, & ampla pars hinc sumi potest, et apud ue teres, Deorum interpretes, sacerdotes, ac filii Poetæ sunt habiti, quiq; sapientes, ac optimè in rebus cum publicis, tum priuatis uer sarentur, Poetæ sunt appellati. Et non modò ingenui pueri, sed regum filii, ac ipsi imperatores poetices studio fuerunt dediti, ut de Africano, Augusto, & aliis multis historiæ loquuntur. Itaq; factum est, ut & poeticen ad eam philosophiæ partem referant multi, quæ in ratione Reip. benè administrandæ uersatur, undè tantum abest, ut poetices studium sit Principe uiro indignum, ut ei sit maximè necessarium, maximeq; honestum, ac decorum.

Quamobrem, Princeps optime, hasce lucubrationes
meas, quæ ex Aristotelis de arte Poetica præ
ceptis hoc de Aenea poema conscriptum
probant multis, ac iustis de causis ad
te missas eo, quo missæ sunt
animo, accipe, & me tui
studiosissimum in
tuorum nume
ro habe.

Vale.

Bononiæ Nonis Nouembris.

M D LXIII.

SEBASTIANVS REGVLVS ARTIS POETICÆ STVDIOSIS.



VM proximis superioribus annis in nobilissima Bononiensi Academia Virgilii Aeneidos librum primum publicè explicarē, animaduerti totū hoc summi Poetæ opus esse confectum ex præceptis Aristotelis de arte Poëtica, de qua summi illius Philosophi extat liber, in quo omnia sunt nobis tradita præcepta, quæ sunt vel ad poeticè aliquid scribendum, vel ad optimorum Poetarum artificium intelligendum pernecessaria. Quare putaui ego me rem, & vtilem, & gratā vobis facturum, si quantum in me esset in hoc explicando summi Poetæ libro conarer demonstrare primo sūmatim, deindè particulatim quicquid à Poeta summo dictū est præceptis Aristotelis maximè consentire, quod eò libentius sum aggressus, quod ex multis huius Poetæ interpretibus adhuc legi neminem, qui hanc interpretandi viam demōstrarit, quæ mihi vera, & ad Poetas interpretandos prorsus necessaria videtur: Nam si in explicādis Ciceronis, & Demosthenis orationibus ii potissimū interpretes probantur, qui illorum orationes ex præceptis Rethorum

rum conſcriptas probant, & id ædificium in primis commendatur, quod ex optimorum architectorum ratione extructum probetur, cur non eadem ratione is interpretandi poemata modus optimus habeatur, quo ad Ariſtotelis præcepta, vt ad normam, & perpendiculum illa redigantur? An verò ſim ego aſſecutus hoc, quod pro virili mea diligenter ſum ſecutus, aliorum ſit iudicium: ego verò ingenuè fateor me id tantùm ſpectaſſe, vt auditoribus meis prodeſſem, & huius rei ſtudioſos, quantùm poſſem, adiuuarem, quæ ſemper fuit vna voluntas, & vnus finis in omnibus meis actionibus mihi propoſitus, quem vos ſpectantes, hoc quicquid eſt veſtra cauſa ſuſcepti mihi laboris, ac induſtriæ pro veſtra animi integritate ſpero comprobaturos.

SEBASTIANI REGVLI IN PRIMVM AENEIDOS LIBRVM PRAEFATIO.



NTEQVAM ad interpretationem libri aggrediamur, libet præfari quædam, quæ non aliena à propositi muneris ratione uidebuntur, ea uero sunt, quæ à Græcis προλεγόμενα appellãtur, quæ Philosophi in principiis librorum quærere consueuerunt, finis scilicet auctoris, cõsiliũ, methodus, utilitas, librorũ numerus, operis inscriptio, quo in genere actionum poema uersetur: hæc.n.cognita ad totum opus intelligendum lectorem magnopere adiuuant. Primum ergo uideamus, qui nam sit finis propositus summo Poetæ, ad quem omnia, quæ toto in hoc opere ab eo sunt carminibus descripta, sint referenda. Cùm sit propositum Poetis, ut est auctor Arist. in libro de Arte Poetica, perfectas rerum idæas imitatione explicare, & hominum actiones, uel bonas, uel malas imitando exprimere, dicimus Virgilii scopum, in toto hoc poemate, esse tollerãtissimi, & fortissimi principis in rebus aduersis, & perfecti uiri simulacrum nobis effictum ostendere, qui, speret infestis, metuat secundis

alteram sortem (ut ait Horatius) qui benè præparato pectore sciat Iouem hyemes informes reducere, & eundem summouere, neq;, si nunc malè sit, olim quoq; sic futurum. id quod facilè probatur, cum ex multis Poetæ locis, tum potissimùm illo loco primi libri, ubi reliquis sollicitudine, & laboribus lassis, & ob id totam noctem stertentibus, Aeneas sub lucem uno comitatus Acathe, explorat loca ad quæ appulerit, qui homines habitent, num amissos socios usquã uideat: dum spem uultu simulat, dum præmit altum corde dolorem, dum patrem, uxorem, filium, Deos pænates humeris suis ab incendio eripit, dum ad inferos usque uidendi patris causa descendit, dum bellum infracto animo aduersus tot populos gerit, dũ diligenter suorum saluti consulit, quæ omnia suis locis à nobis ostendentur, vt uerè expressum Aeneã, hoc est uirum omni laude cumulatum, ac planè beatum perspiciamus; nam, cùm finis hominis sit fœlicitas, quæ est actio cum virtute, ut ait Aristoteles libro primo Rhetoricorum, & Ethicorũ, Poeta effingens Aeneam suum omnia ad virtutis normã gerentèm, eum ad summam fœlicitatem perducit: quod est optimi Poetæ officium, & finis. Poetica enim, ut Rhetorica, inseruit politicæ, quæ vt regina cæteris artibus imperat, cuius finis est efficere homines beatos, nec id assequi potest, nisi ante bonas reddiderit,

& dicto suo audientes, hoc est nisi persuadeantur, ut uelint bonis legibus, & moribus parere, quibus boni efficiuntur homines: ad persuadendum uero adhibetur Rhetorica, & Poetica, quæ suaui, ornata, & sensibus hominum demulcendis apta oratione in animis hominum summa cum uoluptate, quæ sunt recta, & honesta inserunt, & bonos efficiunt, ut medici sanant corpora ægrotantium, amara quidem pharmaca, sed melle illita præbentes, ut ægrotantes dulcedine allecti, quod est amarum: sed salubre pharmacum libenter sumant, sic Poetæ cum dulcedine orationis, & imitationis iucunditate quod rectum, & bonum quidem est, sed durum, & difficile hominibus uidetur, miscentes in illorum animos inducunt. Hoc declarauit Lucretius in principio libri quarti, cum ita cecinit.

Nam ueluti pueris absinthia tetra medentes,
Cum dare conantur, prius oras pocula circum
Aspirant mellis dulci, flauoq; liquore:
Vt puerorum ætas improuida ludificetur
Labrorum tenus, intereà perpotet amarum
Absinthi laticem, deceptaq; non capiatur:
Sed potius tali à tactu recreata ualescat:
Sic ego nunc, quoniam hæc ratio plerunq; uidetur
Tristior esse, quibus non est tractata, retroq;
Vulgus abhorret ab hac, uolui tibi suauiloquenti

Carmine Pierio rationem exponere nostram,
Et quasi Musæo dulci contingere melle:
Si tibi fortè animum tali ratione tenere
Versibus in nostris possem, dum percipis omnem
Naturam rerum, ac persentis utilitatem.

Quare ex præceptis Aristotelis dicendum est finem summum hunc Virgilio hoc in uolumine, ex officio boni Poetæ fuisse propositum: eum nobis uirũ effingere, qui plurimis, maximisq; uitiis paulatim expiatus, ac magnis, multisq; uirtutibus ornatus, id quod summum homini bonum est, fœlicitatem assequeretur, & qua uia, quaq; ratione ad id peruenire posit, in Aenea suo patefactum omnibus uoluit: Et Homeri exẽplo id fecit, qui (ut ait Plutarchus) duobus suis poematibus Iliade, & Odissea, vniuersã philosophiam est complexus, quæ, cum in duas partes, εἰς πρακτικὴν, καὶ θεωρητικὴν, diuidatur, Iliade uitam, quæ in rerũ actione, Odissea verò eam, quæ in rerũ cognitione uersatur, expresit: Hoc uno poemate, & in uno Aenea, idẽ fecit Virgilius: sex.n. prioribus libris, quæ ad rerum cognitionem pertinent, sex uerò reliquis, quæ ad actuosam uitam est complexus. Quod Horatius de Homerò planè declarauit illis uersibus Epistolæ secundæ libri primi ad Lollium.

Troiani belli scriptorem maxime Lolli
Dum tu declamas Romæ, Præneste relegi,

Qui

Qui, quid sit pulchrum, quid turpe, quid utile, quid non
Plenius, ac melius Chrysippo, & Crantore dicit.

Consilium vero Virgilii fuit originem, & uetustatem populi Romani, & nobilitatem generis Iulii Cæsaris Augusti celebrare, & ab Aenea principium ducere, ad quem gens Iulia, omnium prope scriptorum consensu, originem suam refert. Nam quando fortes creantur fortibus & bonis, & est in iuuencis, & equis patrum uirtus, hoc cœpit consilii summus Poeta, ut ex summis Aeneæ uirtutibus, omnium posterorum eius, & in primis Augusti uirtutes ex eo cognoscerentur. Vsus est autem ea ratione, quæ propria est Poetarum, ut imitatione, quod uolunt, exprimant. Nam non uere, qualis fuerit Aeneas, exprimit Virgilius, sed qualem pium, & fortem uirum Aeneam uerisimile est fuisse, & Homerum est imitatus ordine quidem præpostero, sed tamen necessario. Nam Homerus primo narrat bellum a Græcis ad Troiam gestum, deinde Vlysis errores persequitur, contra Virgilius errores Aeneæ primo, deinde bellum exponit, quia res ipsa, & necesitas ita cogebat, quia ante, & terra, & mari diu errauerit Aeneas, quam bella gesserit, in quibus exponendis adhibuit naturæ ordine, & artis, naturæ, dum, vt quæq; facta, uel primo fieri potuisse uidentur, ita explicantur, artis, dum ratione personarum habita, & locorum, facit Aeneam

Carthagine in conuiuio excidium Troiæ, & suos errores explicantem, vt eo narrante, qui interfuerit credibiliora, & ueriora uideantur: vtitur & methodo diuidente: nam totum hoc poema diuisum est in exordium, & narrationem, quorum & uaria genera in toto poemate, pro rerum, & personarum dignitate, adhibet, ut nos suo loco ostendemus; item partitur totum opus in colligationem, & solutionem, quæ sunt duæ partes poematis necessariæ, auctore Arist. in libro de Poetica, colligatum verò, & connexũ id omne est, quod ab initio eousq; prouehitur, undè mutari incipit fortuna: hæc autem ut primùm cœpta est mutari solui fabula dicitur. In Odissea, colligatio est, donec arcum in procos intendat Vlysses, indè posteà sequitur solutio, quia fortuna Vlysis, & procorum mutatur: in hoc opere colligatio est. Donec fractos aduerso Marte Latinos defecisse uideat Turnus. Exinde factum est, ut Turno Amatæ, quæ sibi fœdam necem consciuit auxiliũ, Iunonis sororisq; præsidia, Deorum omnium studia, uita deniq; ipsa defuerit; rursus distinctũ est in quatuor partes, quæ qualitatis appellantur, in fabulam scilicet mores, uerba, & sententias. fabula est unius actionis constitutio, & imitatio, quæ constat principio, medio, & fine, quod facilè perspicitur à summo Poeta seruatũ, dum imitatione exprimit aduentum Aeneæ in Italiam, & quid

quid ibi sit perpessus, & quid postremo effecerit: mores perspiciuntur in Aenea potissimum, & in his personis quas facit loquentes, quibus uel boni, uel mali ii iudicantur; quos Poeta facit loquentes, uerba adhibet rebus explicandis, idonea: iis utitur sententiis, quibus quod sibi habet propositum, uel probat, uel improbat, uel uerum, uel falsum demonstrat, ut a nobis commodius in explicandis Poetae carminibus ostendetur, atq; de fine, consilio, ordine, & methodo huius poematis hactenus.

Quanta uero sit huius operis utilitas, hinc nō obscure intelligitur, quod rerum natura in hoc opere uelut in quodam corpore ad hoc facto conclusa uidetur, & omnis philosophia complexa, quae quū duplex sit, altera cognitionis, altera actionis, vtramq; in Aenea suo complexus est Virgilius, qui dum facit Aeneam ad inferos descendentem per uarios casus, & per tot discrimina rerum in latium deducit, uitā hominis cognitioni rerum animum intendentis proponit: dum bella gerit, uxorem ducit, urbem cōdit, suis regnum parat, eam uitae rationem, quae in rerum actione uersatur, ostendit: praeterea nemo est, qui nesciat cognitionem iuris pōtificii sacrorum omnium disciplinam, multorum populorum, mores nosse utilissimum, & maximam partem prudentiae esse. nam ob id Vlysses ab Homero sapientissimus est iu-

dicatus, quod multorum mores vidit, & urbes, vt hic taceam hos libros ad eloquentiam studiosis comparandam plurimum afferre adiumẽti, ualere item plurimum ad intelligendum quod regis, quod populi, quod patris, quod filii, quod ciuis, quod peregrini, quod senis, quod iuuenis, quod deniq; omnium personarum sit officium: nam quod de Homero dixit Horatius, nos de Virgilio affirmare nõ dubitamus.

Qui, quid sit pulchrum, quid turpe, quid utile, quid non
Melius, & plenius Chrysippo, & Crantore dixit.

Quare factum est, ut ueteres illi sapientißimi uiri poeticam primariam quandam philosophiam esse tradiderint, quæ ab ineunte nos ætate bene uiuendi formulam doceret, quæ mores hominum multorũ, quæ animi actiones ostenderet, quæ res gerendas cũ iucunditate præciperet. Vnde uere dixit Horatius.

Torquet ab obscænis iam nunc sermonibus aurem
Asperitatis, & inuidiæ corrector, & iræ.
Mox etiam præceptis format amicis,
Instruit exemplis, inopem solatur, & ægrum.

Hinc optime Græcorum institutæ ciuitates liberos suos poetices præceptis erudiendos curarunt, & Diuus Aug. scriptum reliquit Poetas Theologos esse nuncupatos, quales Orpheus, Musæus, Linus fuerũt. nam poetices artis studia, adolescentiam alunt, senectutem oblectant, secundas res ornant, aduersis solatium,

tium, ac perfugium præbent, delectant domi, foris non impediunt, pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur. adde quod Oratori Poetarum lectio conferri plurimum, a quibus spiritus in rebus, sublimitas in uerbis, in affectibus animi motus omnis, & in personis decorum exprimitur: & ideo horum in lectione putat Cicero esse acquiescendum, & omnem dicendi copiam, & elegantiã augeri, & expoliri Poetis lectitandis. Est.n. finitimus Oratori Poeta, suntq; cognatione quadam inter sese coniuncti. Verum cũ cæterarum rerum studia præceptis constent, atq; doctrina: Poetæ soli ipsa natura ualent, & mentis uiribus excitantur, & quasi diuino quodã spiritu inflamantur. Vnde Plato diuinus, diuinum esse dixit Poetarũ genus, & Poetas diuino furore concitatos multa cõmoda hominibus attulisse, eosq; magnetis lapidis naturam imitari, non solum anulos ferreos ad sese trahentis, sed anulis ipsis uim attrahendi infundentis: sic poeticæ non solum ipsi attrahunt ad se homines; sed uim hominibus addunt ad se alios attrahẽdi. hos sanctos appellat Ennius, quod quasi Deorum aliquo dono, & munere præditi esse uideantur: hinc Ouidius inquit.

Est Deus in nobis agitante calescimus illo,
Est Deus in nobis, sunt, & commercia cœli.
Sedibus æthereis spiritus ille uenit.

Hoc est, quòd Poetæ apud veteres maximo in honore habebantur, à principibus amplexebantur, à regibus ditabantur, ab omnibus certatim amabãtur. Charus fuit Scipioni Africano Ennius; Archias Mario, & Lucullis, Cherillum Poetam quamuis ignobilem in delitiis habuit Alexander, Virgilium fouit Augustus, cuius carmina, cùm populus Romanus audisset, surrexit uniuersus, præsentemq; Virgiliũ, ut Augustum est, ueneratus. Gratianus Ausonium cõsulatu decorauit, cùm inter spolia Darii Persarũ Regis scriniolum gemmis, auroq; preciosissimum cœpisset Alexander, in eo Homeri libros reponendos censuit. Huc adde quod etiam Dii amatores, cultoresq; extitere Poetarum, siquidem Apollinis oraculum, vt inquit Eusebius, Euripidem laudibus in cœlũ tulit, & Archiam tanquàm scelestum, ac profanum iussit exire de exemplo, quòd Archilocum Poetam interemisset, quid, quod Plato, & Arist. principes Philosophorum, Homeri, aliorumq; Poetarum carminibus sua dicta confirmant, quin & Iureconsulti illi prudentissimi, ac sanctissimi in libris digestorum testimoniis utuntur Poetarum, quid? non ne Augustinus, Hieronymus, Lactantius, nostræ Religionis lumina præcipua carminibus scatent Poetarum? non ne & Apostolus Paulus ad Titum scribens usurpat versiculum Epimenidis Poetæ: Cretensis semper mẽdaces,

uentres pigri, malæ bestiæ, & illud Menandri. Corrũpunt bonos mores confabulationes pessimæ: non ne Moses, Dauid, Salomon, & omnes Prophetæ Poetæ fuerunt celeberrimi, & modulis Poetarum Hymnos suos cecinerunt, quin & Dii ipsi fieri carminibus placabiliores existimantur: vnde ab Horatio dictũ est,

Carmine Dii superi placantur, carmine manes,

Et à Manilio

Calliope hominum requies, diuumq; uoluptas.

Sit igitur sanctum apud omnes studiosos nomen Poetarum, qui principibus chari sunt, qui amplexantur à bonis, quorum carminibus Dii placantur, qui nos optimis præceptis instituunt, linguam ornant, facundiam augent, rerum, & uerborum copiam suppeditant, quæ omnia cum ab omnibus ferè Poetis percipiantur, eaq; sint uitæ hominũ maxime necessaria, quantò existimãda sunt esse maiora, in eo Poeta, qui longo interuallo Poetas omnes superat, quẽ omnes diuinum, & Poetarum Principem, aureum eloquentiæ flumen, fontem omnium scientiarum esse testantur. ex quo facilè intelligitur, quantũ utilitatis ex huiusce auctoris lectione percipiatur, & quàm benè studiosorũ cõmodis hisce nostris explicationibus sit cõsultum: & maximum Dei Opt. Max. munus Poeticã esse, qua una maximus ille opifex rerum homines à cæteris animantibus seperauit. Poetica enim homi-

nes in agris dispersos, ac more ferarum uiuentes, in unum congregauit, congregatos mites, ac mansuetos reddidit: Poetica multæ urbes sunt constitutæ, plurima bella restincta, firmissimæ societates, sanctissimæ amicitiæ comparatæ, Poetica mortales immortales efficiuntur, cuius tanta est dignitas, tanta maiestas, tanta potentia, ut hac præditi Deorũ esse simillimi uideantur, ac tantum cæteris hominibus præstare, quantum homines bestiis antecellunt.

De numero autem librorum nemo dubitat: constat enim esse in duodecim libros totum hoc opus diuisum: mihi uero quærendũ uidetur, cur in libros, & in tot libros sit hoc opus diuisum, cuius rei hanc causam esse puto, ut facilius, & percipi animo, & memoria seruari posit totum poema in certas partes distinctum: nam partitio est optimum docendi instrumentum, & ne continuata, & perenni narratione angustiis animæ spiritus intercludantur, atq; sine ulla uoluminum diuisioneq molestia, & satietas, & confusio legentibus afferatur: ut enim perfectæ actionis, quam Poeta effingit, quædã partes inter se ita seiunctæ, & aptæ, ut alia ex alia pendeat, rem totam absoluunt, eodem ordine in libros diducitur poema, quibus tanquam præcipuis membris opus interpunctũ, atq; distinctum perfectionem consequitur suã. duodecim autem libris uoluisse hoc poema, distinctum


Virgilium

Virgilium puto, ut absolutissimum opus, uel ex numero ipso perspiceretur. nam ueteres, & diem integrum, & noctem in duodecim horas diuiserunt, & assis in duodecim æquales partes diuiditur, & duodecim annis annus perfectus absoluitur, quin puto Poetam respexisse ad occultissimam Pythagoræ numerorum Philosophiam: numero enim senario ueteres symbolum nuptiarum nobis significarunt, & in his libris bis nuptiæ celebrantur, primo Didonis, & Aeneæ, deinde Lauiniæ, & Aeneæ, unde maxima pars huius operis, sumpta est, quibus rationibus facile adducor, ut credam: Poetam hoc potissimum numero uoluisse totius sui operis perfectionẽ nobis probatã. Nunc autẽ antequam de inscriptione dicamus, hæc quatuor mihi consideranda uidentur, primo res gesta, ut quomodo uere Aeneas uenerit in Italiam: nã Poetæ sæpe in re uera actionem constituunt, quam postea imitatione uerisimili, & figmentis exornant: deinde qua de causa uenerit, ut sæuæ memorem Iunonis ob iram: tertio num, quæ dicuntur, pugnent cum aliis, ut cũ ait primus, uenit, & Euander primus. Postremo Allegoria, ut quid Aeneas, quid Troia, quid Italia, quid Iuno significent: nos igitur ex historia, qua nititur totum hoc opus, primum referamus uerum Aeneæ aduentum, & deinceps reliqua tria explicemus, de quo Tit. Liuius in principio primæ decadis



cadis sic narrat. Iam primùm satis constat, Troia capta, in cæteros sæuitũ esse Troianos, duobus Aenea, Antenoreq́;, & uetusti iure hospitii, & quia pacis, redendæq; Helenæ semper auctores fuerant, omne ius belli Achiuos abstinuisse. Casibus deinde uariis Antenorem cum multitudine Henetum uenisse in intimum Adriatici maris sinum, & pulsis Euganeis, Troianos eas tenuisse terras: Aeneam uerò ab simili clade domo profugum, sed ad maiora rerum initia ducentibus fatis, primò in Macedoniam uenisse, inde in Siciliam quærentem sedes delatum, ab Sicilia classe laurentem agrum tenuisse, Troia huic loco nomẽ est, ibi egressi Troiani, ut quibus ab immenso prope errore nihil præter arma, & naues superesset, cùm prædã ex agris agerent, Latinus Rex, Aborigenesq́;, qui tùm ea tenebant loca, ad arcendam uim aduenarum armati ex urbe, atq; agris concurrunt; duplex exinde fama est, alii prælio uictum latinum pacem cum Aenea, deinde affinitatem iunxisse tradunt: alii, cùm instructæ acies constitissent, priusquàm signa canerent, processisse latinum inter primores, ducemq́; aduenarum euocasse ad colloquium, percunctarum deinde, qui mortales essent, postquàm audierit multitudinem Troianos esse, ducem Aeneam filium Anchisæ, & Veneris, cremata patria, & domo profugos, sedem, condendæq; urbi locum quærere, & nobilita

tem



tem admiratum gentis, uiriq; animum uel bello, uel paci paratũ, dextera data, fidem futuræ amicitiæ sanxisse, inde fœdus ictum, inter duces, inter exercitus, salutationem factam, Aeneam apud Latinum in hospitio fuisse, ibi Latinum apud Deos pœnates domesticum adiunxisse fœdus, filia Aeneæ in matrimoniũ data: ea res utiq; Troianis spem affirmat tandem stabili, certaq; sede finiendi erroris: oppidum condũt: Aeneas ab nomine uxoris Lauinium appellat: quæ Liuii uerba qui cõsiderat diligenter, facile is perspicit, in iis contineri summam, & quasi fundamentum totius huius poematis, & discit Poetas uera falsis miscẽtes poemata optime conficere. Causæ vero aduẽtus Aeneæ ueræ sunt clades, & excidium patriæ, natus Aeneas ad maiora rerum initia, ac fatũ, quod his uerbis T. Liuius significauit. Aeneam ab simili clade domo profugum ad maiora rerum initia ducentibus fatis primo in Macedoniã uenisse, inde in Siciliã quærentem sedes delatum, ab Sicilia laurẽtem agrum tenuisse; fictæ causæ. Iudicium Paridis, Metus sollicitæ Iunonis de Carthagine. Ganymedes a Ioue Hebe filiæ præpositus. quod autẽ dixerit primus, cum & ante Aeneam plurimi, uenerint in Italiam, ut apud Dionysium legitur, non repugnat, non solum ea ratione quam adducit Seruius, quia si uenit Antenor prius quam Aeneas, nõ prius uenit in Italiam, quia ea pars

Italiæ

Italiæ nunc, tum erat Galliæ, uel quod Fato primus: nam, & Euander ante Fato uenit patria pulsus, & in eundem penè locum, quo Aeneas, sed etiam quia primus uenit ab oris Troiæ Fato in Latium. Euander uenit quidē primus Fato in Italiam, sed ex Arcadia, non ex Troia, dum igitur dixit Lauina littora respexit ad Antenora, qui non uenit in Latium; ubi dixit ab oris Troiæ, distinxit ab Euandro. ex quo nihil in his carminibus esse aliis scriptoribus, uel sibi repugnans dici potest. Allegoria verò hæc est. Aeneas est uir laude dignus, qui relictis voluptatibus, multis exāclatis laboribus, & ærumnis, tādem ad propositum sibi finem, idest fœlicitatem peruenerit. nam Troia nobis naturæ primordia, & primam hominis ætatem significat, in qua nulla ferè est ratio, sed tantùm ea, quæ sunt ad uoluptatem, & salutem, quærūtur: vt datum est à natura omni animanti, ut se corpusq; suum tueatur, & uoluptatem appetat, vnde qui digreditur, si, vt Aeneas in Italiam, fœlicitatem consequitur, si, ut Paris in Græciam, hoc est turpem uoluptatem, perit unà cum suis, & Venerem Palladi anteponit. Iuno est ambitio, & ideò inimica Aeneæ tendenti ad locum contemplationis. ambitio enim, quæ in rerum actione, & ciuilibus undis uersatur, est inimica, & homini rerum cognitioni dedito, & uoluptati: & hac de causa etiam Troiam, quæ puerilia, & uoluptuosa sequitur,

tur, cupit extinctam. His igitur nominibus poeta uoluit nobis expressa tria vitæ genera sibi aduersa, ac inter se pugnantia, & tandem præstantissimum illud, quod ad rerum cognitionem tendit, esse, sed maximo cum labore, & difficultate ad id, superatis tandem omnibus, aduersariis, perueniri.

Deinceps de inscriptione dicamus, quæ mihi hæc duo præstare debere uidetur, unum, ut uerum operis auctorem indicet, alterum, ut quid in toto opere agatur, non obscure significet. Sed de huius poematis inscriptione, illud in primis quærendum videtur, sit ne recta inscriptio: nam reprehendit Aristoteles eos poetas, qui sua poemata de Hercule, & Theseo Heraclida, & Theseida appellarint, eadem ratione uidetur Virgilius reprehendendus, qui ad eorū imitationem suum de Aenea poema, Aeneida nominarit. Verum Aristoteles non reprehendit illos poetas, quod nomine ab Hercule, uel Theseo ita deducto, & conformato, ad inscriptionem sui poematis usi sint; sed quod omnia illorum gesta complecterentur, & connecterent simul, quæ connecti non possent, quod est contra poeticæ artis præceptum, quod est, ut quod scribitur, sit simplex, & unum, & deinde eo nomine uterentur, quod unam actionem, & non plures significaret: At inscriptio Virgiliana, & si similiter desinit: cum tamen Virgilius in

ſuo poemate unam tantum, eamq́ſimplicem Aeneæ actionem, ſibi propoſuerit imitatione explicandam, & non plures, hæc illius inſcriptio reprehendi nõ poteſt: non enim eſt quod quisq́ putet eam διὰ ὁμοιοτέλευτον, debere improbari: nam hoc non reſpexit Ariſtoteles reprehendens malorum poetarum inſcriptionem: ſed id, quod & peccarent ipſi conficiendo poemate, & ea uterentur inſcriptione, quæ non ſignificaret, quod in poemate contineretur: ex præceptis igitur artis poeticæ, & Ariſtotelis ſententia rectè eſt hæc appoſita inſcriptio: quæ & duo habet illa, quæ debet habere inſcriptio: nam primò tuetur nomen veri auctoris, ne quis hoc opus poſsit ſibi falsò aſcribere: deinde rem ipſam, qua de hic agitur, vno uerbo cõplectitur, cum Aeneis inſcribatur, quod uerbum de Aenea poema, hoc eſſe ſcriptum ſignificat, quod, cùm ſit nomen (ut dialectici loquuntur) indiuiduũ, id ſi explicare volumus: quærenda eſt eius ſpecies, quæ eſt ἐποποιία. Multæ ſunt enim poetices formæ, ut dithirambica, lyrica, tragica, comica: & eiuſdem genus inueniendũ, quæ eſt poetica, & ad definitionem poetices, genus eius imitatio, quæ eſt actionis animalis imitatio, quæ fit tribus modis, vel uerbis, uel harmonia, uel numero, & ἐποποιία eſt unius animalis præſtantis uerbis facta imitatio, & Aeneis eſt imitatio, unius actionis Aeneæ. imitatio uerò nihil aliud eſt,

quàm

quàm effictio alicuius rei,ad alicuius similitudinem, ex hoc itaq; nomine intelligimus in toto hoc opere agi imitationem unius actionis Aeneæ: Virgilii uerò nomen auctorem certum operis indicat. Atq; hæc de operis inscriptione, librorum numero, vtilitate, ordine, auctoris cõsilio,& scopo sint ex philosopho rum præceptis breuiter dicta. aggrediamur deinceps ad interpretationem eorum, quæ ad artificium poematis intelligendum spectant,& primò quod ait Aristoteles esse faciundum, summam totius fabulæ, idest imitationis Aeneæ unius actionis breuiter ponamus. Aeneas quæsiturus sibi, suisq; noua domicilia,nouas terras peregrè,multos annos,cum iret, à Iunone obseruatus multa tulit,post tam diuturnos,tantosq; labores terra,mariq; exantlatos in Italiam peruenit, ubi confecto bello graui, & periculoso vltus hostem sibi, suisq; regnum comparauit. hæc summa est, & vna Aeneæ actio à poeta per imitationem uerbis expressa;reliqua,quæ addita sunt,spectant ad exornandam,& amplificandam hanc actionem, quæ Episodia ab Aristotele appellantur, qui præcipit ita oportere scribi poemata:nam cũ admirabile sit propositum poetis, id maximè excitatur multis hinc inde adiectis,quæ præter hominum expectationem,& contra voluntatem, sæpe eueniunt, & sunt quædam actioni illi primariæ adiuncta, quæ nisi adderentur,

actio ipsa esset nimis ieiuna, atq; arida: ut facile videre est, si quis de actione à nobis paulò superius breuiter explicata, tollat digresſiones omnes, & Episodia, quæ toto in hoc opere continentur: Vt conuiuium Didonis, narratio Iliensis excidii, & Didonis amoris, & descensus ad inferos, & ludi ad tumulum Anchisæ: quibus & admiratione, & voluptate summa afficiuntur auditores, & lectores.

De principio verò quia multi reuocant in dubiũ, sit ne exordiendum ab hiſce carminibus. Ille ego. Vel ab Arma, virum. Vel à Musa mihi causas memora: Ex Aristotelis præceptis, & Horatii dicimus esse initium poematis huius hoc carmen. Ille ego, qui quondam. Nam Horatius præcipit, ut sint sedata, & summiſſa principia, hinc reprehendit poetam Ciclicum, qui nimis tumidè est exorſus, cùm inquit: fortunam priami cantabo, & nobile bellum, laudat Homerum, qui sedatiùs incœperit: dic mihi, musa virũ captæ post tempora Troiæ. nam ut nihil est in natura rerum omnium, cuius est imitator poeta, quod se vniuersum profundat, & quod totum repente euolet, sic omnia, quæ fiunt, quæq; aguntur, acerrimè leuioribus principiis natura ipsa pertexuit: cum enim augenda semper sit ipsa oratio, ita debemus incipere, vt humiliter exordientibus in altiora resurgat dicendi ratio: non autem eiusmodi initium facere, ut inci-

incipiens à tumiditate oratio, in extremam humilitatem postea desinat, & Aristoteles ait in libro de Rhet. oportere exordia esse musicorum praecentioni simillima & poetarum maximè esse, qua de re sint dicturi, in principio proponere. at Musici summissè, & à qua libuerit voce, quam posteà cum vero cantu connectunt, canere incipiunt, & paulatim altiùs insurgunt: Hoc summus poeta seruauit optimè & hic, dum à tenuioribus sic exorditur. Ille ego. Et proponit. Arma virumq; cano. Ad quæ antequàm veniat, humiliora præmittit. idem facit in septimo libro, in sex posteriorum librorum propositione, nam non sic statim incœpit;

Dicam horrida bella,
Dicam acies, actosq; animis in funera reges,
Thyrrenamq; manum, totamq; sub arma coactam
Hesperiam. Sed à mitiori principio semper gradatim ascendens.
Nunc agè, qui reges Erato, quæ tempora rerum,
Quis latio antiquo fuerit status, aduena classem
Cum primùm Ausoniis exercitus appulit oris,
Expediam, & primæ reuocabo exordia pugnæ.
Tu uatem, tu diua mone; dicam Horrida bella.
Et quæ sequuntur.

Præterea cùm voluerit Virgilius, quasi quoddam corpus perfectum suorum operum constituere, ratio postulauit, ut superiora, cum his, coniugeret: &

ordi-

ordinem naturæ ſequeretur. Nam cum primò fuerint ſyluæ, & arua inculta, uixerintq; homines in antris, & pecuaria exercuerint; mox colere arua cœperint, poſtremò vrbes condiderint; primò de paſtoribus, deinde de agricultura, poſtremò de condenda vrbe, & ciuili vita ei dicendum fuit. Tertia ratio eſt, quòd imitatus ſit Ariſtotelem, qui tertium librum Rhetoricorũ, ab epilogo eorum, quæ in ſuperioribus libris dixerat, incœpit. Quarta ratio eſt, quia in principio orationis, in qua quis laudetur, rem nudã ponere, & illotis (vt aiunt) manibus rem aggredi, quod à Paulo iuriſconſulto libro digeſtorum primo reprehẽditur, minimè decet, poſtremò exordii propoſitio ſæpe ſolet eſſe deflexa, & longa periodo circunducta: quod hic fit, ſi incipias ab. Ille ego. Et quia in exordio poetis videndum eſt, vt doceant, delectent, & alliciant auditores; res dilucida, & plana in principio eſt ponenda. Niſi enim, quæ proponimus, quamprimùm intelligantur, nõ aſſequimur id, cuius cauſa exordii ratio eſt inſtituta. Itaq; fugiendum eſt, ne quid audacius translatum, ne quid obſoletum, ne quid vel licentia poetica ſumptum, deprehendatur: ne nimis circunducta oratio, ne ſtudioſiùs, quàm oportet, elaborata videatur, ne verbis nimia promittat: cuſtodit enim tunc recens nos audientium intentio: quæ omnia ſumma cum dignitate hic ſeruauit

ſum-

summus poeta, cum inquit.

Arma uirumq; cano, Troiae qui primus ab oris,
Italiam fato profugus, lauinaq; uenit littora:

Quàm apte motus quosdam in animo his verbis excitat.

Multum ille & terris iactatus, & alto,
Vi superùm, saeuae memorem Iunonis ob iram.

Quibus praeterea delectat, & allicit auditorem; cum virum tanta pietate insignem, Iunonis ira, tot labores terra, mariq; pertulisse docet, dum conderet urbẽ, inferretq; Deos latio. Item, cùm habeatur exor dium, ut intelligenter, ut beneuolè, ut attentè audia mur (ut paulò ante dicebam) uel nostra scripta legantur; haec praestat Virgilius. Nam dum quis ipse sit, & quae fecerit explicat, beneuolentiam, cùm proponit breuiter. Arma, virumq; cano; docilitatem, cùm uirum pietate grauem, vexatum à dea Iunone, dum conderet urbem.

Inferretq; Deos latio, genus unde latinum
Albaniq; patres, atq; altae moenia Romae.

Comparat attentionem. Item cùm praecipiat Aristoteles, vt exordium demonstratiui generis à laude sumatur, hoc seruatum est hic à Virgilio, cùm sine arrogantia Aeneam seq; laudat, explicans quis vterq; sit, & quid fecerit, & quid sit facturus.

Propositio uerò totius operis est in duas partes diuisa,

diuiſa, arma ſcilicet, & virum: & quod priore eſt loco poſitum, poſteriore eſt explicatum: quia non ſemper eo modo narramus, quo proponimus, & quia poſterius poſita aptius connectuntur cum ſequẽtibus, ſine ullo interuallo, ſi eadem ſis copioſius tractaturus: & ſi Ci. & Quintil. ſecus præcipiunt, vbi agunt de diuiſione, & partitione: Nam hæc Rhetorum præcepta nec ab oratoribus, nec à poetis, ubique ſeruantur: vt Ci. pro Milone ante narrationem confutat præiudicia: & ſi ratio partium orationis ſecus videatur poſtulare: Verùm hoc Homeri exemplo factum crediderim, ut Ci. docet libro primo Epiſtolarum ad Atticum, epiſtola, quæ incipit; Quæris ex me quid acciderit de iudicio, quod tàm præter omnium opinionem acciderit, reſpõdebo tibi; ὕστερον πρότερον ὁμηρικῶς, nã is cõſueuit ſæpè à mediis, & vltimis incipere, & poſteà reliqua perſequi: qđ & Plutarchus in Homeri vita obſeruauit. quem proculdubio imitatus Virgilius, ſic & ipſe explicare incœpit ordine hyſterologiæ: etſi quòd ad rerum ordinem ſpectat, recto ordine uſus. Nam antè Aeneas errauit per maria, & terras: poſteà bella geſſit. Item uſus eſt periphraſi ad perſonam Aeneæ decorandam, & ad imitationem Homeri, qui in principio Odyſſeæ Vlyſſem deſcribit, cum inquit (ut latinè loquar)

Dic mihi Muſa uirum, captæ poſt tempora Troiæ

Qui

Qui mores hominum multorum uidit, & urbes
Dum sibi, dum socius reditum parat, aspera multa
Pertulit, aduersis rerum immersabilis undis.

Quod ab vtroque poeta factum duabus de causis puto, cum, vt idonea videatur ab iis persona delecta, in qua perfectam eius, quam volunt, rei formam effingant; ut in Aenea pietatis, & fortitudinis; in Vlisse prudentiæ, & fortitudinis; tum, ut hac circumscriptione, ut penicillo pictores, effingant, & explicent talem personam. nam hæc omnia uerba. Troiæ qui primus ab oris, vsque ad, Musa mihi causas memora, nihil aliud exprimunt, nisi virum verè laudatũ, idest Aeneam, ubi & ratio dialecticorum est seruata; qua præcipitur, ut omnis disputatio rectè de aliqua re suscepta à definitione proficiscatur, vt intelligatur, quid sit, id de quo sit disputandum: & cum poeta imitetur actiones hominum, uel deteriorum, uel præstantium; Heroici præstantiores semper imitantur: & ideo Virgilius heroici memor poematis decori, talem virum, & talia illius facinora proposuit, quæ esset præstantissima, & maximè admiranda; cum ait, arma horrentia martis & uirum, qualem describit ab illi attributis: & primum à uirtute, idest animi fortitudine, quæ uiri est propria, item à studio, arma: item à fortuna, profugus: à differentia primus: à loco, Italiam, lauina littora: à patria Troiæ ab oris: à causa, fato, ui

superum, Sæuæ memorem Iunonis ob iram: ab euentis, Multa quoq; & bello passus: à fine, & factis, Dum conderet vrbem, inferretq; deos latio: à genere, Genus vnde latinum, albanique patres, atque altæ mœnia Romæ. Hic locus etiam postulare videtur, vt quæratur, cur poeta præter rationes superius explicatas, non proprio nomine Aeneam appellat. cuius ea prima causa putatur, vt Homerum imitetur: qui in principio Odysseæ non nominat Vlyssem, sed describit. altera quia Aeneæ nomen, cum ipse fuerit suspectus multis, nomine proditionis, ne ipsius nomine audito, statim in principio auditores offenderentur, fuit silentio inuoluendum. Tertia, & vera est ratio, quam affert Eustathius de Vlysse.

Σημείωσαι δὲ ὅτι σιωπᾷ τὸ τοῦ ὀδυσσέως ἐξ ἀρχῆς ὄνομα ὁ ποιητὴς ἐξαίρων αὐτὸν σεμνοῖς ἐπιθέτοις, καὶ ἐγκωμίοις, καὶ ἀνακρατῶν τὸν ἀκροατὴν, καὶ ἄλλως εἰπεῖν σεμνότερον τοῦ κυρίου κρίνας ὀνόματος τὸ ἐξ ὧν πολλῶν ἔτλη γνωρίσαι αὐτὸν, ἃ καὶ ὡς ἐξαίρετόν τι παράσημον ἦν αὐτῷ.

Nam uoluit, & Virgilius, ex attributis Aeneæ, admirabiliorem illum, & honestiorem reddere: & auditorum animos admiratione, attentiores habere. Agè verò, vt quæ de docilitate, & attentione, & beneuolentia in exordio captandis, hic demonstrentur planiora, quæ in hoc heroico poemate etiam tractantur; quàm aptè, & qua dispositione collocentur, ostẽdamus. Cum igitur proposuerit summus poeta, quæ sit cantaturus.

Arma

Arma uirumq; cano, Troiæ qui primus ab oris
Italiam fato profugus, lauinaq; uenit littora.

Statim rei susceptæ affert rationem.

Multùm ille, & terris iactatus, & alto
Vi superùm, sæuæ memorem Iunonis ob iram.

Deinde, quemadmodum natura euentis causæ antecedunt, antequàm ad explicationem susceptæ actionis aggrediatur, quis author eius fuerit, & quam ob causam, docet: & ex alto repetit.

Vrbs antiqua fuit, Tirii tenuere coloni.

Et quæ sequuntur.

Causis uerò rerum gerendarum quia consilia adiunguntur, ea quoque hic exponuntur, Cum inquit.

Hoc regnum dea gentibus esse,
Si qua fata sinant, iam tum tenditq;, fouetq;.

Hoc erat consilium Iunonis, hæc voluntas, vt Carthaginienses rerum potirentur: & hæc est breuis rerũ tractandarum summa, vnde eorum, quæ effingenda narrandaq; sunt, expositio pendet: cui subnectitur propositæ rei narrationis principium.

Vix è conspectu siculæ telluris, in altum
Vela dabant læti, & spumas salis ære ruebant.
Cum Iuno æternum seruans sub pectore uulnus

Hæc secum. Quid? cum illa fabula, vel actionis imitatio, quæ habet admirabile, Miserabile, & horribile, sit optima, (ut est author Aristoteles in libro de

poetica) huiusmodi esse imitationem hanc suã actionis Aeneæ poeta statim in exordio probat. Nam in eo, quod ait. Fato profugus, & Tantæ ne animis cœlestibus iræ? est horribile: cum ait insignem pietate uirum, est miserabile, cum admiratione: nã quid magis mirum quàm virum pietate insignem uexari à Deo? & quid magis misericordia dignum, quàm pium uirum tot malis premi? Cum enim poetæ scirent hanc esse multorum opinionem, uel potius hominum naturam, vt fato tribuant omnia, & hinc religionem, ac metum iniici hominum mẽtibus, & excusari eos, qui hoc modo aliquid patiuntur; hac de causa eas actiones sibi potissimum imitatione exprimendas sumpserunt, quas fato factas dicerent: & quia hoc modo, ea quæ iniqua, & mala videntur, bona putantur; quod fati rationem uni deo cognitam credant homines; ut exitus sæpe postea probat: quæ enim primo Aeneas pius patitur, videtur iniqua, impia, nefaria: at postea, cum ex iis uidemus illum in Italiam, in Latium peruenire, vxorem Lauiniam ducere, vrbem condere, vnde & Roma mundi caput, & imperium illud maximum est exortum; tunc illa superiora colligimus fuisse bona: quia tantorum bonorum causa fuere: & nisi fuisset patria expulsus Aeneas non venisset in Italiam: nec eius progenies fuisset adeo illustrata, & potens: & quæ præter spem, præterq; opinionem, fatali quadã

sorte eueniunt, ea admiranda sunt, fabulasq; efficiunt pulchriores; & ideo ait Virgilius, fato profugus. Et terris iactatus & alto. Hæc uerba faciunt ad artificiũ exordii, ut ait Quintilianus libro quarto, capite primo: Natura pro laborantibus fauor: & ideo demonstrandum est, nos aliquid aduersi passos ad emerendum auditorum studium. Hic etiam aduertimus, (ut mos est Aristotelis) poetam à communioribus, & uniuersis ad singularia uenisse: nam primò dixit Italiam, deinde lauina littora, postremò Romam, cũ inquit. Atq; altæ mœnia Romæ. Ac de exordii inuentione, & dispositione hactenus, nunc verba consideremus.

His primis verbis expressit, attenuatum dicendi genus quod constat sententiis puris, & rebus humilibus, & uerbis leuibus, ac propriis principio aptis, inquit enim,

Ille ego, qui quondam gracili modulatus auena.

Quibus uerbis nihil leuius, nihil summissius dici potest. quod Cicero significat in oratore, ubi loquitur de summisso, & humili oratore, inquit enim habet ille tanquam hiatus concursu uocalium molle quiddam, & quod indicet non ingratam negligentiam, de re hominis magis, quàm de uerbis laborantis; hac non ingrata negligentia, quotidianis, & propriis uerbis contexta, tenui figuræ dicendi apta sæpè

Ci. vtitur in epistolis; qui principium primæ epistolæ earum, quæ familiares appellantur, sic instituit. Ego omni officio, ac potius pietate ergà te, cæteris satisfacio omnibus; vbi vides concursum earundem vocalium, vt hic in principio Aeneidos, & diuersarum etiam vocalium, qui cum fuerit in primo pede, vt hoc in carmine, vt ait Pontanus in Actio, numerus est solidior cum quadam iucunditate; præsertim, vbi concurrunt eædem vocales, vt hic, & in illo secundi libri;

Ergo omnis longo soluit se Teucria luctu.

Ille egò, qui. Hæc tria pronomina perspicuitatem, quæ est propria virtus orationis, & emphasim habet, & periphrasim personæ Virgilii, ab æditis operibus; quæ omnium illius operum inscriptionem continet; quæ uerum authorem indicat: ne quis alius sibi uendicare posit: quod præstare debet inscriptio, & huius rei causa est inuenta: & hac de causa putò hoc factum à summo poeta; qui timeret, ne quis Bathyllo similis, hæc, opera sibi ascriberet. Hic figuræ sententiæ sunt periphrasis, & transitio, quarum altera rem explicat planius, altera repetit dicta, & proponit dicenda: qua usus est etiam in principio secundi libri Georgicorum, cùm dixit.

Hactenus aruorum cultus, & sydera cæli
Nunc te Bacche canam.

Figuræ

Figuræ verborum ſunt, translatio in verbo modulatus: energia in his, parerent arua colono; cùm dat ſenſum rei ſenſus experti, vt in Georgicis, cùm cecinit,

Illa ſeges votis tandem reſpondet auari
Agricolæ, quæ bis ſolem, bis frigora ſentit.

Item eſt hyperthesis, quæ à latinis traiectio nominatur: quæ fit, cùm interponuntur aliqua: vt Cicero dixit de Antonio; Qui, niſi eſſet in Republica natus, Antonii ſcelere Rempublicam nullam haberemus. Quæ omnia de ſe, & ſuis operibus dicta, ſumpta ſunt ex Ariſtotelis libro ſecundo de arte dicendi, ex materia amoris ſibi conciliandi: amamus enim liberalium artium peritos, ſapientes, nobis utiles, & iucundos, talem ſe ſe ex ſuis operibus declarat Virgilius. Ergo auditorum beneuolentiam ſibi conciliat: quod non minimum exordii eſt officium.

At nunc horrentia. Nunc, eſt antitheton illius, Quondam ſuperius poſitum, & At ſignificat contraria, vel certè diuerſa dicenda ab iis, quæ ſuperius ſunt dicta; Sic quartum librum incœpit.

At Regina graui iamdudum ſaucia cura

Diuerſum à narratione errorum Aeneæ. Et verba hæc ipſa, horrentia Martis arma, virum, aſpera bella, ac prælia horrenda, vel ſono ipſo indicant, rerum dicendarum magnitudinem, ut ſuperiora.

Ille

Ille ego, qui quondam gracili modulatus auena.

Lenitatem, & tenuitatem pastoritiæ vitæ, & quietem rusticanæ, ac humilitatem significant: quod est præceptum Aristotelis in libro Rhetoricorum tertio, & in libro de arte poetica; vt sit oratio respondens rebus proportione. Quod vero ad numerosam efficiendam orationem spectat, primo aduertimus, primum versum esse sine vlla copula, quod ea de causa factum putamus, vt liberius fluat carmen, nec habeat, quo insistat, incurratue carmen in auriũ offensionẽ; sic exorsus est principium Georgicorũ.

Quid faciat lætas segetes, quo sidere terram.

Et Ouidius in Metamorphosi. *In noua fert animus.* Et fastorum principium.

Tempora cum causis latium digesta per annum.

Sic & hoc in loco.

Ille ego, qui quondam gracili modulatus auena.

Qui vero initiis pedes conueniant, haud dubium est alios non esse, quàm quos heroum carmen admittit, vt dactylum, & spondeum: verba vero seorsum intuenti, ut quodq; verbum per se pedem constituit, non dubitandum est ab eo principium ducendum esse, quod primam syllabam producat, atque in dactylum, uel spondeum abire possit; siue sit duarum syllabarum vt trocheus, vt hoc in loco, Ille ego; Arma, virumq; cano; siue trium, vt Molossus.

Infandum regina iubes renouare dolorem.

Sunt qui notent numerum etiam in verbis duarũ syllabarum suauem admodum, vt; Ille ego, Arma virumque cano. vt illud. Vela dabant læti, spumas salis ære ruebant.

Troiæ qui primus ab oris.

Hic vides mutatum ordinem verborum, ad decorem quendam orationis: quæ dura sæpe, & hians, & dissoluta esset, si rectam verborum seriem seruaret: nam hic rectum erat.

Qui primus ab oris troiæ, lauinaq; littora uenit.

At poeta vsus hac verborum traiectione venustiorem multo, ac suauiorem reddidit orationem.

Multum ille, & terris iactatus, & alto.

Collisio earundem vocalium, & synalephe, & tres continentes spondæi, & geminata copula, nauigationis difficultatem, & tarditatem significant: & errorũ varietatem, ac magnitudinem ostendunt, hæc duo verba, terris & alto: & cum sint antitheta, rem in primis ob oculos ponunt.

Memorem. Grammaticis de hoc verbo multum est allatum negotii, dum conãtur reddere rationem huius Epitheti: absurdum enim primo videtur, sensum dari notioni animi; diciq; iram, quæ cito venit, atque abit, recordari: cum hoc diuturnius, stabiliusq; natura sua sit. Quare Seruius interpres putat, locum

ita accipiendum, ut Memorem dixerit, non quæ meminerat, sed quæ in memoria erat. Ego verò puto poetam hoc fecisse ex præcepto Aristotelis, dicentis in libro de arte Poetica, Energiam esse præcipuam poeticæ orationis virtutem: quæ est, cùm rei sensus experti, sensum tribuunt, vt Pontem indignatus Araxes: & de furore: *Furor impius intus*

Sæua sedens super arma, & centum uinctus ahenis
Post tergum nodis, fremet horridus ore cruento:

Et hac in re imitatus est Aeschylum tragicum poetam: qui in Agamemnone appellauit μνάμονα μῆνιν, hoc est memorem iram; & Homerum libro primo Iliados: vbi inquit, quando Rex inferiori viro irascitur, & si eadem die contineat iram, seruat tamen in animo, vt posteà vlciscatur. Sed verior hæc mihi explicatio videtur ex Aristotelis libro secundò Rhetoricorum; memorem iram dici, quia inest irato vlciscendi cupiditas: quæ maximè iucunda est: & quæ sunt iucunda, sunt εὐμνημόνευτα, hoc est, facilè in memoriam reuocantur. Multa quoque & bello passus. In his verbis Quoq; &, vides collisionem earundem vocaliũ, & hiulcam verborum cõiunctionem: quæ fit ampliore sono, & grauiore, cùm insistit, dicentemq; remoratur: tardiùs enim, & grauiùs sic fluit carmen. Multa quoq; & bello passus, quàm Multáq; iam bello passus. Item obseruẽtur soni literarum, & apparebit ple-

nior

nior oratio:nam nemo est, qui dubitet,ò & à cæteris longè plenius sonare: quamobrem meritò & hic laudatur Virgilius: qui maluit dicere: Multa quoq; & bello, quàm Multa etiam bello.

Ideo & terris, & alto, quia difficile fuit, vt incolumis Troiæ incendium euaderet, laboriosum: vt crudelitate, & auaritia deterritus Thracium fugeret incõmodum: ut oraculi ambiguitate deceptus, in Cretẽsem pestém incideret; Arpiarum fœdã illuuiem experiretur: iter ad Helenũ p medios hostes teneret: Cyclopũ immanitatẽ perferret: Mariá Sicula, Scyllã, Charybdim, euaderet, damna nauium incensarũ sentiret.

Arma virumq; cano. Trapezuntius libro tertio, suæ rhetorices sic declarat hũc locum. poetæ modo magis materiam, quàm aliis circunstantiis, amplificãt: quod vbiq; eximius ille poeta Virgilius in principio Aeneidos seruauit, singula modo suo amplificãs.

Arma, uirumq; cano, Troiæ qui primus ab oris
Italiam fato profugus, lauinaq; uenit littora.
Multum ille & terris iactatus, & alto,
Vi superùm & cætera.

Nã hic statim à principio quemadmodũ in singulis insistat manifestum est; cum, & profugũ, & iactatum terra, ac mari dicat, Multa quoque & bello passum; causas quoque modo addit, cum fato, ui superùm, & memorẽ Iunonis ob iram, hæc illi accidisse cõfirmat.

Musa mihi causas memora. Tantæ ne animis cœlestibus iræ? Exclamatio hæc apta admiranti: nã cùm superius, omnia admirationis plena posuerit; Insignẽ pietate virũ, tot adire labores, impulerit regina Deũ; meritò exclamat: quia hæc præter ius æquumq; videntur, & indigna Deo: aut enim nunquàm Deos immortales irasci oporteret, neque motu hoc turbido eorum animos vexari; aut facilè, si cui aliquandò irascantur, placari. Nam & Euripides in Bacchis facit Cadmum, cum vehementer sibi iratum Bacchũ placare studeret, ita dicentem; ὀργὰς πρέπει θεὺς οὐχ ὁμοιοῦσθαι βροτοῖς. Hic etiam aduerte summum poetæ artificiũ, quærẽtis à musa causas tantùm; Et musa causas solùm explicat: reliqua vel ipse poeta narrat, vel alios facit narrantes: quia

Nec Deus intersit, nisi nodus uindice dignus inciderit.

Errores igitur Aeneæ, & discessum ex patria, & aduentum in Italiã, quia poeta ex historicis, & aliis scriptoribus scire facilè poterat, ideo se cantaturum illa proponit, sed causas tantarum rerum, ut occultas, & à diuina voluntate proueniẽtes verisimile erat non posse nisi à diuino numine sciri, & ignorari ab homine, quod videns summus poeta, nec ignorans præceptum artis poetices, quod est verisimilia sequi, & ad deos confugientis, sua augustiora, & admirabiliora facere, à musa quærit causas, & illam facit explicantem,

cantem, quia cognitis causis effecta mox facile cognoscuntur: vnde perspicitur quàm fuerit obseruantissimus artis Virgilius, & naturæ, qui apta vnicuique affingit; & ipse in principio, & totius operis propositione proponit, vel promittit non se causas, sed aduentum Aeneæ & bella, errores quod à nemine antea, quod sciam animaduersum, putaui à nobis aduertendum diligenter; & admonendos lectores quàm nihil sit à summo poeta dictum, quod non cõueniat artis poetices præceptionibus.

Est præterea imitatus Homerum, qui in Iliade facit iratum Apollinem græcis ob contemptum chrysem suum sacerdotem, pestem in exercitum græcorum immisisse. Et in Odissea Neptunum Vlissi infensum, qnia Polyphemum filiũ Neptuni oculo priuasset: sic & Virgilius iratam Iunonem cum ob raptum Ganymedis, iudiciũ Paridis, tum ob metum euertẽdæ Carthaginis à Romanis. quia in re sibi eam delegit personam Virgilius, in quam ira facilè caderet, primo fœminam, reginam Deùm contemptam ab homine: nã eò quod est fœmina, sexus imbecillitate animum vincere non potest, vel difficillimè, eò quod est regina est potens, diues, & ideo vindicta in primis gaudet: nam & extat iam tritum sermone prouerbiũ; Nihil magis gaudet vindicta, quàm fœmina, & cùm ira sit libido eius vlciscendi, à quo tibi videaris læsus,

vel

vel contemptis, dum possis, quia potens Iuno sperat se sumpturam pœnas de Aenea, & quia superior irascitur inferiori: nam Aristoteles libro secundo rhetoricorum ait superiores inferioribus irasci. Musa mihi, hic vides amplam, & perspicuam dicendi formam, cùm constet sententiis, & rebus grauissimis, de causis, de numine læso, de pietate viri insignis, de ira Deorum, perspicua est, quia constat propriis verbis, à recto casu incipit, omnia ad vnum verbum vltimo loco positum sunt directa, vt cogitatio ad certum finem quasi recta contendat: summa etiam est iucunditas in numero, qui efficitur suauissimus, cum alterni pedes ponuntur, vt hic uidere est, cùm & dactylus primò, mox spondæus, rursus dactylus, quem sequitur spondæus, vt Musa mihi causas memora, quo numine læso. Item alliteratio facit suauem orationem, & illustrē. Musa mihi memora, & ternæ dictiones cōtinentes bissyllabæ, & in insequēti versu, eadē perspicitur mutatio, ac varietas pedū; Quidue dolēs regina Deùm tot voluere casus. conformatio sententiæ est Apostrophe, & Epiphonema in fine, cùm sic exclamat. Tantæ ne animis cœlestibus iræ? figuræ verborū, agnominatio, quo, quid, et repetitio Tot, & pro nominatio, cùm loco proprii nominis finitimum aliquod nomen idem significans ponitur, vt pro Gracchis, Africani nepotes si dicas, sic pro Iunone Reginā

Deum, pro Aenea insignem pietate virum dixit Virgilius, ad rem verbis exornandam, & amplificandam.

Musa mihi causas memora. Quia inuocat musam hoc in loco poeta, dicendum est nobis de inuocatione, unde ducta, cur, quomodo adhibenda, cur historici, & oratores inuocatione non utantur, & quid inter sese differant Homerus, & Virgilius in poematū suorum principiis, & inuocatione: Habet igitur à natura originem inuocatio, quemadmodū & poetica: nam est hoc homini natura insitum, vt Deum colat: & nihil sine numine diuûm fieri posse pii homines uere persuasum habent, vnde in rebus omnibus suscipiendis hoc habent in promptu, Deus adsit, Deo adiutore hoc fiat. huius autem rei aperta ratio est, quia nihil rectè fieri, vel potius nullo modo fieri potest, diis inuitis, quod & Virgilius illo versu significauit. Heu nihil inuitis fas quemquam fidere diuis. Et Socrates admonet Timæum, vt est apud Platonem, vt de rebus magnis dicturus, secundum legem, inuocet Deos. A Virgilio quatuor de causis video musā esse inuocatam. primo, vt legem seruaret naturæ, cuius sunt poetæ imitatores. deinde, vt Homerum imitaretur, qui in principio vtriusq; sui poematis musam inuocauit. tertiò vt in admirationem, & attentionem auditores raperet, qui hæc non ab homine, sed à Deo dicta audirent. quartò ad facilitatem rei sibi compa-

randam.

randam: quod varro faciundum libro primo de re rustica præcipit: quoniam (inquit) dii facientes adiuuant, prius inuocabo duodecim Deos consentes: postremò si (vt ait Plato in Ione) sunt diuino afflati numine poetæ, & quæ dicunt, à musis, & ab Apolline accipiunt, hoc à Virgilio factum ratione poetica dicamus necesse est. Obseruaui autem variam esse inuocandi rationem à poetis adhibitam: nam græci côiunctim adhibent propositionem, & inuocationem, vt apud Homerum videre est, cùm sic exorditur vtrunque suum poema.

Μῆνιν ἄειδε θεὰ πηληϊάδεω Ἀχιλῆος οὐλομένην
Ἄνδρα μοι ἔννεπε μοῦσα πολύτροπον.

Ex latinis seiunctim Virgilius in Georgicis, cùm cecinit.

Quid faciat lætas segetes, quo sydere terram
Vertere Mecænas, vlmis adiungere uitas
Conueniat, quæ cura boum quis cultus habendo
Sit Pecori, & quanta apibus experientia parcis,
Hinc canere incipiam. uos ò clarissima mundi
Lumina labentem cælo, quæ ducitis annum,
Liber, & alma ceres adeste.

Ouidius côiunctim cùm inquit, in Metamorphosi.

In noua fert animus mutatas dicere formas
Corpora dii superi, nam uos mutastis & illas,
Votis aspirate meis.

Cur

Cur uero variè hoc fiat, ea est ratio, quia in principio auditorum docilitas est quærenda, at ea comparatur, si breuiter, & summatim dicamus, quod significauit Horatius, cum inquit, quicquid præcipies breuis esto, ut Percipiant animi faciles, teneantq; fideles; sed perspicua etiam debet esse oratio, ea fit, cùm rem totam in suas partes partimur, quod ostendit auctor ad Herennium, cum inquit, Rectè habita in causa partitio illustrem, & perspicuã facit orationem: reperio etiam quandoq; ad exornandum poema in inuocando Poetas digreßionibus uti, vt Virgilius in primo Georgicorum: vos, ò clarißima mundi lumina labentem cœlo, quæ ducitis annum liber, & alma Ceres, vestro si numine tellus Chaoniã pingui glandem mutauit arista, poculaq; inuentis Acheloia miscuit uuis, &c. Obseruo Virgilium in vii. Aeneidos, inuocasse primò, deinde proposuisse.

Nunc agè qui Reges Erato, quæ tempora rerum,
Quis latio antiquo fuerit status aduena classem,
Cum primùm Ausoniis exercitus appulit oris.
Expediam, & primæ reuocabo exordia pugnæ,

Obseruo Heroicos Poetas nunc unam, nunc omnes Musas inuocare solitos, vnam, vt hic Virgilius, & Homerus in Odissea.

ἄνδρα ἔννεπε μοῦσα πολύτροπον, omnes, vt
Pandite nunc Helicona Deæ cantusq́; mouete. & Hom.

ἔσπετε νῦν μοι μοῦσαι. Lib.xvj.Iliados.

Obseruo, & eos Deos inuocatos, qui præsunt ei rei, quam scribunt, ut à Virgilio rustica numina sunt inuocata res rusticas scribente.

Vos agrestum præsentia numina fauni. Et
Clarißima mundi lumina
Labentem cælo quæ ducitis annum
Liber, & alma ceres.

Et Ouidius in Metamorphosi, vt mutationes illæ multiplices, & uariæ sunt, ita omnes Deos inuocasse, cùm inquit.

In noua fert animus mutatas dicere formas
Corpora dii sccæptis (nam uos mutastis & illas)
Aspirate meis.

Item animaduerto, & magnos homines inuocari solitos, vt à Virgil. in Georgicis. Augustus est inuocatus.

Tuq́ adeo, quom mox, quæ sint habitura Deorum
Concilia incertum est, uotis assuesce uocari, &
Da facilem cursum.

Et Ouidius in Fastis inuocat Cæsarẽ Germanicũ.

Accipe pacato Cæsar Germanice uultu
Hoc opus, & timidæ dirige nauis iter.

Heroici verò Poetæ ideò musas inuocãt, quia res magnas, ac sæpe diuinas inquirunt, & canunt, & musæ ἀπὸ τοῦ μῶσαι, hoc est, ab inquirendo, sunt dictæ, ut Plato, & Cornutus docent. præterea cùm fabulosa narrentur,

rentur, & quæ non poſſe fieri ab hominibus credantur, Deos hæc dicētes, ac facientes cùm fingunt poetæ, tùm fidem dictis conciliant, omnia enim à Diis poſſe fieri nemo dubitat: Et ſic τὸ πρέπον nuſquā prætermittendum ſeruant. Muſam unam inuocat hoc in loco Virgilius ad exemplum Homeri, qui in utroq; ſuo poemate unam inuocauit, quam Calliopem omnes interpretantur, quia ut Philoſtratus in Heroicis, & Quintus Calaber libro tertio ſcribunt, pollicita ſit ipſa eos fore poetas, qui laudes Achillis canerent, uel (vt ait Aeſiodus in Theogonia) q̃ ſit præſtātiſsima omnium muſarũ, & per ἀντονομασίαν, Muſa cùm dicitur, Calliope intelligitur, & præſit poeticæ, & Heroica carmina inueniſſe creditur: vnde Virgilius dixit.

Carmina Calliope libris Heroica mandat.

Vel quod verius eſt, quod ab Ethimologia uocabuli hoc modo mōſtratur, quid potiſsimum opus ſit Poetæ, & proprium illius officium ſuauem conficere orationem: nihil enim aliud ſonat Calliope, niſi ſuauem uocem, ſuaue carmen. Hiſtorici uerò non inuocant, hac de cauſa, quia res geſtas tantùm referunt, quæ facilè explicari poſſe uidentur ſine auxilio diuinō. hinc reprehenditur Valerius Maximus, qui in principio ſuæ hiſtoriæ hominem inuocare ſit auſus, & à Cicerone in verrinis reprehenduntur illi oratores, qui à Deo Opt. Max. exordirētur, quod eſſet uul-

garc exordiũ,& ideò uitiosum. sed si quis mihi obiiciat Ciceronem inuocasse in orationibus pro Murena,& C.Rabirio,respondemus in illis tanquam Consulem,non tanquam oratorem inuocasse:nam Liuius libro trigesimo nono ita scribit. Concione aduocata, cùm solenne carmen precationis, quod præfari prius, quàm populum alloquantur, solent magistratus, peregisset Consul, ita cœpit. huc respexit summus poeta,cùm in undecimo libro ita cecinit.

Præfatus diuos solio rex infit ab alto.

Nam erat rex,& alloquebatur populum latinum. Hic aduertere etiam debemus rectum,uel potius directum orationis genus, nam direxit omnia ad ultimum uerbum Impulerit, vt cogitatio ad certum finem rectà contenderet,alterni item dactyli, & spondæi,& alliteratio Mu,Mi,Me,& tres cõtinentes duarum syllabarum dictiones efficiunt grauiorem suauioremq; orationem.

Quo numine læso.

Hæc uerba sic interpretatur Macrobius libro primo Saturnaliorum, cap. decimo octauo,Maro cum de una Iunone diceret: Quo numine læso, ostendit unius Dei effectus uarios, pro uariis censendos esse numinibus.

Vrbs antiqua fuit. Exponit musa causas iræ Iunonis,metum.s.euertẽdæ ab Aeneæ nepotibus Carthaginis,

ginis, raptū Ganymedis, & iudicium Paridis de trium Dearum pulchritudine. In quibus explicandis, animaduertimus ex Arist. præcepto τὸ εἰκὸς, καὶ τὸ θαυμαστόν. Nam est uerisimile, Iunonē, quam magnoperè amabat ciuitatem, eam in perpetuum incolumen uoluisse: & admirabile est, ciuitatem diuitiis, & opibus affluentem, esse etiam bellicosam. Nam ex opulentia sæpè luxuries, & otium proueniūt; unde fiunt imbelles hominum animi: & apud ueteres causa in militiā proficiscendi, erat paupertas, & rerum inopia. Hinc dixit Terentius, Pauperiem fugiens, in Asiam militatum abiit. Et Sinon apud hunc Poetam in libro secundo.

Pauper in arma pater primisq; huc misit ab annis.

Admirabile item est in hisce uerbis.

Tyberinaq; longè Ostia.

Cum enim tàm longè abesset ab Italia, & Roma, non uidebatur causa timēdi esse: timemus enim propinqua, & præsentia mala. Mirum est igitur, Iunonem timuisse ab Romanis excidium Carthaginis: sed hoc totum cedit in laudem Romanorum: qui tanto loci, & temporis interuallo, timori essent etiam diis. Est præterea consideranda diligenter urbis Carthaginis descriptio, à genere, differentia, proprio, ab accidentibus, & à situ: à genere, Vrbs; à differentia, Antiqua; ut distinguatur à noua Carthagine, quæ

fuit

fuit in Hiſpania; à proprio, Tyrii tenuere coloni; ab accidentibus, Diues opum, ſtudiisq; aſperrima belli; à ſitu, Italiam contra, Tyberinaq; longè Oſtia: quæ nobis ob oculos ponunt formam Carthaginis. Item, hinc ſumi poteſt certa laudandæ urbis ratio. Nam laudatur à conditoribus Tyriis; de quibus mox dicemus; à uetuſtate; ueneranda eſt enim uetuſtas; à fortuna, diues opum; à ſtudio, ſtudiisq; aſperrima belli; à Deo tutelari, quam Iuno fertur coluiſſe: nam diis charum eſſe, eſt maximè laudabile; à comparatione, Terris magis omnibus unam, Poſthabita coluiſſe Samo: quibus in uerbis ſumma eſt amplificatio: honeſtum eſt enim cultam eſſe à Iunone Carthaginē; ſed magis omnibus terris, multò eſt honeſtiùs: at præpoſitam Samo patriæ ſuæ, longè honeſtiſsimum: poſtremò, à ſignis armorum Iunonis, cum inquit. Hic illius arma, Hic currus fuit. Imitatus eſt autem Homerum, qui cauſam iræ Achillis ait fuiſſe Briſeida ereptam; quæ ex prædæ diuiſione Achilli obuenerat, pro qua multùm laborauerat, quamq; habebat chariſsimam. Rodulphus Agricola libro ſecūdo, cap. duodecimo, de inuentione Dialectica, hoc orationis genus, expoſitionem appellat: quam ait eſſe orationem, quæ recenſet rem ſolùm talem aliquam eſſe, velut credenti auditori, ut

Vrbs antiqua fuit, Tyrii tenuere coloni.

Carthago.

Carthago. Et quæ sequuntur. Causas enim, propter quas oderat Aeneam Iuno, recenset poeta: easq; si sic accepisset, ut dubium faceret, an odisset Aeneã Iuno, harumq; cõmemoratione causarũ uellet id docere, esset argumentatio. Nunc quia odium Iunonis uelut certum, indubitatumq; sumitur; cui causæ subduntur, non ut ostendatur odisse Aeneam Iuno (quippe pro certo id est, quemadmodum diximus) sed propter quas odium ipsum prouenerit, expositio est. Quòd, si iam conuertamus orationem, dicamusq;, Non dubium est, quin oderit Aeneam Iuno; quoniã Carthaginem amabat, cui exitium ab Aeneæ progenie uenturum audierat; & quia contra Argiuos steterat in bello; & reliqua, quæ poeta subdidit, argumentio fiet.

Tyrii tenuere. Tyrii (ut Iustinus narrat) à Phœnicibus oriundi, terræ motu priscis sedibus concussis, patria profecti, primò, Assyrium stagnum, mox littoralem regionem occuparunt: ubi urbem conditã, Sidonem à piscium copia dixerunt: Phœnices enim sua lingua, Sidon piscem appellant. Post aliquot annos, Sidonii ab Ascalonitarum Rege bello petiti, & postremùm expugnati; nauibus Tyrum appulerunt; & nouam urbem sub id ferè tempus, quo Troia fuit à Græcis capta, ædificarunt. Porrò hic diu Persicis armis Tyrii uexati, suam tamen libertatem magnis

gnis uiribus uindicarunt. Hac gloria cum inter finitimos clara esset urbs; tandem inopinata seruorum cõspiratione, eaq; obscura, oppressa fuit. Periere hic omnia ad unum capita libera, cum uirili stirpe, serui capta urbe uictores, uxores, & filias ciuium, quos occiderant, sibi matrimonio iungunt. Senex unà cum filio, occultè fuit seruatus à seruo: quòd mitiùs, clementiusq; ad id temporis usq;, in eum imperiũ suum exercuissent. Non fuit ingratus uicissim Strato. (id enim erat seni nomen) in seruum. Sic enim inter seruos conuenerat; ut, qui primus eorum postridiè oriẽtem solem esset conspicatus, is Rex salutaretur, quippè diis carissimus. Strato monet hominem, ut, cùm reliqui oculos in solis ortum intendissent, ipse à sole auersus, murorum, ac turrium fastigia, quæ aliquantò priùs à sole adumbrantur, contrario statu obseruaret. Secutus senis consilium, perbreui temporis momento, ortum solis aliis spectantibus, primus à tergo solis radios demonstrauit. Admirantibus reliquis cõmentum minimè seruile, ac sciscitantibus, cuiusnam esset, coactus est authorem consilii prodere, Herum uidelicet à se seruatum à cæde, in cõiuratione seruili. Itaq; senem, ut diuina quadam prouidentia huc seruatum rati, communibus suffragiis regem declarant. Succedit in locum defuncti filius: cuius soboles longa serie posteà regnauit; donec Alexander Macedo,

tanquàm

tanquàm ultor nefarii sceleris, quicunque capta vrbe superfuere, ad vnum omnes cruci affixit: quod supplicium seruile fuit: seruata est tantùm Stratonis progenies: cui genti regnum est ab eo continuatum: permisitq; Insulanis, vt sublata seruili stirpe, ex ingenuis noua ciuitas conderetur. Sed ante seruilem coniurationem iam relatã, cùm ciuitas, magna gloria, & opibus floreret; & hominum multitudo frequentior esset, quàm ut eam caperet; missa in Lybiam aliquanta iuuentutis pars, Vticam, Catonis morte nobilem cõdiderunt. Paulò post, Pygmalion regnum à patre per manus accepit. Huius soror Elisa, Sichæo auunculo, uirgo nupsit. Erat autem Sichæus, homo prædiues auri facti, infectiq;, & Herculis sacerdos; qui honos erat secundus à Rege. Sichæus haud ignarus, quàm periculosa res esset aurum apud tyrannos; aurum omne, quod habebat, sub terra condidit. Quod, cum rescisset Pygmalion, spe auro potiundi, Sichæum obtruncat. Dido primò fratrem ob nefariũ scelus apertè oderat: cumq; ob eandem causam sese periculo expositam videret, læto vultu fratrem appellat, quasi tempore ægritudinem adimente: cumq; cum securũ reddidisset, cum omnibus Sichæi opibus, nonnullis ex principibus ciuitatis comitibus, fugam arripuit. Primò appulit in Cyprum, mox in Lybiam; vbi mercium commercio, locorum accolas ita allexit, ut tantùm

tum loci precio obtineret, quantum bubullo corio in urbem condendam complecteretur: cæterùm eo in tenuissimas partes dissecto, maiorem aream complexa est, quàm initio poscere visa esset. à bubulo corio Byrsa, latinè Carthago est appellata. & de Tyriis hactenus.

Tenuere. Verbum, quo sæpè vtuntur scriptores, de iis, qui loca occuparunt. Sic Titus Liuius, Euandrum ea tenuisse loca dixit.

Quam Iuno fertur terris magis omnibus unam.

Macrobius lib. tertio Saturnal. inquit. Constat inter omnes, vnamquanq; ciuitatem Deum habere tutelarem, id est esse sub alicuius dei tutela. Et Lilius Gcraldus, qui nuper scripsit de diis gentium, inquit, syntagmate primo. Topici dei uocabantur, non à Græcis modò, sed etiam à Latinis, qui locorum, regionũ, vrbium peculiarẽ tutelam gerebant; quos interdùm Tutelares, Genios, & Custodes, latinè appellatos uidemus. Hanc veterum religionem, summus poeta vetustatis obseruantissimus, hoc loco significauit.

Iuno fertur. Perelegans formula dicendi. Sic Cicero in epistolis, quas familiares vocant. Dicitur mihi seruus tuus Anagnostes Vardaci esse.

Coluisse. Dicimus enim Deos colere vrbes, & coli Deos in vrbibus, & ab vrbibus: vt Cicero dixit in Verrem. Deæ, quæ illos lacus, lucosq; colitis. Et de

Natura

Natura Deorum. Achillem, Astypalea Insula sanctissimum colit.

Posthabita Samo. Duo hæc verba, magnitudinē amoris Iunonis in Carthaginem ostendunt, & augēt. Nam (vt refert Pausanias in Achaicis) Iunonis templum in Samo ab argonautis conditum fuit: dicunt autem Samii Iunonem apud se natam. Varro Samum scribit Partheneam esse appellatam; quod ibi Iuno adoleuerit, ibiq; etiam Ioui nupserit. Itaque nobilissimum, & antiquissimum templum eius, fuit Sami; & simulachrum in habitu nubentis figuratum; & sacra eius anniuersaria nuptiarum, ritè celebrantur. Cum igitur Carthagini Samum posthabuerit, incredibilis apparet eius in Carthaginem amor: & verbum illud posthabere, quasi neglectum quendam significat eorum, quæ posthabentur.

Arma. Intelligas hastam, scutum, currum; quibus illa vtebatur. Hinc Curetis Iuno, idest hastata; quia Sabinorum lingua, hasta, curis est dicta; qua pro sceptro reges olim vtebantur: & cum sit regnorū Dea, iure illi hasta datur; quod significat, armis regna defendi.

Currus. Nam in templis seruabantur currus aurei & argentei, qui thensæ dicebantur; quibus vehebantur simulachra Deorum.

Currus, & arma. Est allusio in nomine Græco, &

Latino: nam ἅρμα Græcè, currus latinè dicitur: vt, Currus videatur esse interpretatio illius verbi, Arma.
Et quia poeta partim ex historia, partim ex fictis fabulis, sumit ea, quibus conficit suum poema; hic Virgilius vera hæc de Carthagine narrat; antiquam fuisse vrbem: à colonis Tyriis conditam, contra Italiam, & Tyberina ostia, diuitem, bellicosam: ficta verò, Iunoni charissimam, hoc regnum gẽtibus vt esset Iunoni maximæ curæ fuisse, sed audisse ex sanguine Troiano orituros, qui illam euerterent. Hæc ita esse, uerbis hisce duobus significauit poeta, Fuit, & Fertur. Nam, quia verè fuit Carthago, vsus est verbo verum significante, Fuit: cum enim quid volumus verum esse demonsttare, dicimus, est: cum uerò dubiũ, vel fabulosum, dicitur, fertur, fama est.
Præterea, Pontanus in Actio docet, verba vnius syllabæ, incipiendis, ac finiendis versibus apta esse, valideq; illos sistere, si à spondæis foueantur: quod Vir. seruauit præcipuè in principiis narrationũ, vt, Vrbs antiqua fuit: Sic fatur lachrymans: Vt belli signum.
Et quia rei gerendæ, duo sunt necessaria, facultas, & voluntas; Virg. hæc duo Carthaginensibus probat fuisse ad bellum gerendum. Opes enim facultatem arguunt: studia belli voluntatem.

Hoc regnum Dea gentibus esse.

Si qua fata sinant, iam tùm tenditq; fouetq;.

Hoc

Hoc etiam ex veterum religione, vel potius ſuperſtitione ſumptum eſt, exiſtimantium, Iunonem regnorum Deam eſſe; eiq; præcipuã regnorũ curam eſſe datam: quod ſpectat πρὸς τὸ εἰκός.

Gentibus. Propriè, ac latinè locutus eſt. Nam gentes apud probatos linguæ latinæ authores, exteræ nationes ſunt, & vrbi, ac ciuibus opponuntur: vt Horatius ode ſecunda primi libri oppoſuit.

Et rubente
Dextera ſacras iaculatus arces,
Terruit urbem.

Terruit gentes. Et Hircius lib. ſexto de bello Hiſpanienſi, vbi Tullius legatus Cæſarem alloquitur in Hiſpania. Petimus (inquit) vt, qualem te gentibus præbuiſti, talem te in ciuiũ. deditione præſtes. Omitto de induſtria, quæ ſcripſit περὶ τοῦ ἔθνους Dionyſius Alicarnaſſeus, in libro περὶ λόγων ἐξετάσεως.

Si qua fata ſinant. Pontanus in Actio, numerum, & vocalitatem obſeruatam à Virgilio hoc in carmine, ſic declarat. Videte obſecro, quàm appoſitè, quã ſtudioſè, præſtruit tribus è dictionibus verſum, iiſq; diſſylabicis; & tanquàm prima in acie collocat ſpondæum, ſolutum quidem, ac liberum; indeq; præterita ſecunda alterum, atq; alterum in tertia, & quarta acie vt, ſi qua fata ſinant, & Tantæ molis erat. At ſi inuertas, Molis erat tantæ, Fata ſinant ſi quà, omnis illa vocali-

vocalitas iam exhalat.

Tenditq;,fouetq;. Est inusitata latinis oratoribus dicendi forma,sed poetis concessa & polysyntheton, & unius syllabæ dictiones constantem Iunonis conatũ ob oculos ponunt: Et pulchre,ac grauiter sic clauditur versus,vt

Tectumq;,laremq;,cœlumq;,diemq;.
Progeniem,sed enim Troiano à sanguine duci
Audierat,Tyrias olim quæ euerteret arces:
Hinc populum latè regem,belloq; superbum,
Venturum excidio Lybiæ: sic uoluere Parcas.

Cum locus,tempus,& persona rebus agendis, & probandis, in primis sint necessaria; summus Poeta probaturus odium Iunonis inexaturabile in Troianos,primò locum posuit.

Vrbs antiqua fuit,Tyrii tenuere coloni,
Carthago.
Quam Iuno fertur terris magis omnibus unam,
Post habita coluisse Samo.

Nunc narrat primam causam, deinceps reliquas narraturus.Quod totum factum est ex illo præcepto Aristotelis de Poetica: quo præcipitur, ut τὸ εἰκὸς seruetur. Præterea,ad artificium huius primæ irarũ causæ intelligendum,tenenda est illa Aristotelis de Ira diuisio,quæ est secundo lib. Rhet. qui sint qui irascantur,quibus irascantur, & quibus de causis. Inquit.n. qui

qui aliquid cupiunt, qui amant, qui præſtantiores ſe cæteris eſſe putant, iraſcuntur iis, qui ſuis cupiditatibus obſtant, qui ſunt inferiores. Dido tendebat, ac fouebat regnum Carthaginenſium, idq; incolume eſſe cupiebat: erat præſtantior Troianis, quippe Dea: ex Troianis erant orituri euerſores Carthaginis, qui obſtabant eius voluntati: erant inferiores, quippe homines. Ergo maxime verisimile eſt illis iraſci. Juno

Progeniem. Quintilianus lib. nono, cap. tertio, animaduerſione dignum putat hunc locum, & modum loquendi, vetuſtiſsimum. Alia (inquit) eſt commendatio vetuſtatis; cuius amator unice fuit Virgilius, vt,

Progeniem ſed enim Troiano à ſanguine duci,
Audierat. & alibi.

Cum ſe pauidum contra mea iurgia iactat: Quorum ſimilia, apud veteres tragicos, comicosq; ſunt plurima. Vnde coniicio hæc verba ex aliquo poeta tragico eſſe ſumpta. Nam ducere progeniem, vt ducere principium, ducere colorem, ducere bellum, non memini me legiſſe; & hoc ad carminis magnificentiam, & ornatum ſpectat. Nam vetuſta, & peregrina, atque innouata verba, illuſtrem & ornatam efficiunt orationem.

Progeniem ſed enim. Tráſgreſsio verborum appellatur: quæ fit, cum mutatur rectus ordo uerborũ,

ad de-

ad decorem quendam orationis comparandum; quæ alioqui dura persæpè, & hians esset, si rectum ordinem seruaret, vt si dicas, Per transtra, & remos; multò duriùs fuerit, quàm, Transtra per & remos. sic hoc loco, sed enim progeniem, durius, quàm progeniem sed enim.

Troiano à sanguine duci. Hic aduertēda est hiulca verborum commissura, quæ fit pleniore, & grauiore sono; cum instat, dicentemq; remoratur; siue eædē concurrant vocales, vt, Multa quoq; & bello passus; siue dispares, vt hic, Troiano à sanguine duci. Grauiùs enim, & tardiùs fluit carmen, quàm si sic dictum esset, Multaq; iam bello passus, Et, Troiano sanguine duci.

Duci autem dixit, non ductum iri, vt magis credibile esset, Iunonem moueri ad extinguendos Troianos: quia præsentibus magis mouemur, quàm futuris, vel bonis, vel malis.

Audierat. Benè hoc notat Donatus: non scierat, uel nouerat: quia non omnes dii futura norunt, nisi ab Ioue, vel ab Apolline audiuerint. Hoc alibi significauit, cum fecit sic loquentem Arpiam Celæno.

Quæ Phœbo pater omnipotens, mihi Phœbus Apollo
Prædixit, uobis furiarum ego maxima pando.

Troiano à sanguine. Inuidiosè hoc dictum; quasi dicat ab ea gente, quæ Iunoni erat in primis inuisa;

& quàm

& quam ipsa extinguere erat conata, & à Venere sui æmula oriunda.

Sanguine. Pro genere: quæ conformatio uerborum ἐναλλαγὴ dicitur, id est immutatio; ut etiam in sexto lib. dixit.

Proiice tela sanguis meus.

Hinc populum. Hic animaduertẽdum est, quàm opportunè, quasi aliud agens, scopum sibi propositũ laudandi Romanos attingat. Est enim hæc periphrasis populi Romani: & propriam laudem attribuit, nobilitatem ex bello; & à consequenti, uictoriam omnium gentium, uel saltem multarum, arguit. Nã, qui bello est superbus, qui latè regnat, eum in bello uictore fuisse, necesse est: & hoc maximè Romani gloriabantur, quod cæteris imperarent: nam eloquentia, Græcis se inferiores esse patiebantur; & sculptura, & Astrologia superari facilè ferebant: & armis uinci nullo pacto uoluerunt. Hinc in sexto lib. laudans Romanos, inquit.

Excudent alii spirantia mollius æra.
Credo equidem uiuos ducent de marmore uultus:
Orabunt alii causas, cœliq; meatus
Describent radio, & surgentia sydera dicent.
Tu regere imperio populos Romane memento
Hæ tibi erunt artes, paciq; imponere morem,
Parcere subiectis, & debellare superbos.

Et Romulus apparens Proculo post mortem, uade, inquit, & nuntia Romanis, Romam caput mundi fore: propterea rem militarem colant. Et Lucius Florus, qui in quatuor ætates diuidit gesta pop. Romani, sic ait. Populus Romanus à Rege Romulo in Cæsarem Augustũ septingentos per annos tantùm operam bello gessit: ut si quis magnitudinem imperii cũ armis conferat, ætatem ultrà putet; ita latè per orbẽ terrarum arma circumtulit; ut, qui res eius populi legunt, non unius populi, sed generis humani facta discant. Primùm enim bello uicit finitimos Italiæ populos, deinde Siciliam, Hispaniam, Africam, Ciliciã, Epirum, Galliam, & alias gentes, quas recenset Florus.

Sic uoluere Parcas. Est hic locus ab authoritate, & testimonio diuino: vnde maxima laus proficiscitur in Romanos; qui à fatis, & Deo ipso, tanto antè tempore, ad tantum imperium sint delecti. Nam habere imperium, est honestum per se: at à Deo habere, honestissimum.

Voluere Parcas. Respexit ad fila Parcarum: quarũ Clotho filum retinet, Lachesis net, Atropos occat. Parcarum commento, ueteres conditionem humanæ uitæ nobis declarant. Clotho enim Græcè, euocatio dicitur Latinè: Lachesis verò, sors. Atropos, sine ordine dicitur: quòd prima sit in uitam euocatio: secunda, sors uitæ, qua quis uiueret: tertia, mortis conditio,

ditio, quæ sine lege uenit. Alii Clotho præsenti tempori præficiũt, Lachesim futuro, Atropon præterito.

Id metuens, ueterisq; memor Saturnia belli,
Prima quod ad Troiam pro charis gesserat Argis:
Nec dum etiam causæ irarum, sæuiq; dolores
Exciderant animo: manet alta mente repostum
Iudicium Paridis, spretæq; iniuria formæ,
Et genus inuisum, & rapti Ganymedis honores.
His accensa super, iactatos æquore toto
Troas, relliquias Danaûm, atq; immitis Achilli,
Arcebat longè Latio: multosq; per annos,
Errabant acti fatis maria omnia circum:
Tantæ molis erat Romanam condere gentem.

Cùm metus sit opinio magni impendentis mali, quod intolerabile esse, & interitum afferre uideatur; summus Poeta, non antè metuentem dixit Iunonem, quàm malum eiusmodi esse demonstrarit, quòd esset timendum: cùm dixit

Progeniem, sed enim Troiano à sanguine duci
Audierat, Tyrias olim quæ euerteret arces:
Hinc populum latè Regem, belloq; superbum,
Venturum excidio Lybiæ, sic uoluere Parcas.

Hæc enim fuit causa timoris: qua Poeta facit maximè uerisimilem Iunonis metum: sed ut clarius intelligamus timentis personam, ex naturæ timoris imitatione, nobis expressam; referamus, quæ ab Aristo-

tele libro secundo de Metu dicuntur: & à Cicerone Tuschulana quarta, metus est, inquit Cicero, opinio mali futuri; Iuno futurum malum uidebat: Item magni mali: hoc magnum, quippe quod excidium afferret urbis sibi charissimæ. Aristoteles verò ait: Metuũtur propinqua mala; hoc propinquum putabatur; quia iam progenies ducebatur: timent amantes, & iis timent, quos amant: Iuno amabat unicè Carthaginem, quod declaratur carmine illo.

Quam Iuno fertur terris magis omnibus unam,
Posthabita coluisse Samo.

Ergo timebat. Præterea metus (vt docet Aristoteles libro secundo Rhetoricorum) βουλευτικοὺς ποιεῖ, hoc est diligentes, deliberatores, & accuratos reddit homines in rebus perpendendis: vt enim reformidare aliquam rem cœperunt, confugiunt ad consilia capienda; vt qui putant reperiri posse viam, qua mala illa euitent: & qui alios iniuria affecerunt, ii timent: Iuno iniuria affecerat Troianos: ergo ab illis aliquid mali, non sibi quidem, quippe quæ Dea esset, sed suis timebat: & ideo conabatur illos ab Italia procul arcere, quod hoc vnum videbatur remediũ euersionis Carthaginis. Et illos perdere; Quem enim homines metuunt, eum oderunt; quem quis odit, eũ perisse expetit. Facile igitur est videre, quàm artificiosè, hæc ab Aristotele sumpta, exprimant, &

affectus & effecta amantis, & timentis.

Saturnia. Perpendendum diligenter hoc verbũ, vt perspiciatur poetæ in rebus explicandis diligẽtia, & scientia. Nam, cùm Iuno dicatur à iuuando, quia parturientes adiuuet, (quod significauit Terentius in Andria, cum dixit. Iuno lucina fer opem, serua me obsecro) non Iunonem voluit nominare, hoc in loco, sed Saturniam, quia studebat perdere Troianos. Et hoc nomen est rei, quam aggrediebatur Iuno, explicandæ, aptissimum, maximeq; proprium. Nam cum filii sæpè referant parentum naturam, & Saturnus, cuius ipsa existimatur filia, sit vitæ hominum maximè inimicus, perniciosus, frigidus, pestilens; qui (vt aiunt Astrologi) adducat morbos, afficiat homines ad multa pericula subeunda; & ideo fingatur rei nauticæ præesse, quæ est periculorum plenissima; scitè admodum summus poeta à vulgi fama non discedens existimantis Iunonem Saturni filiam, nunc Saturniam appellat: quæ & terris, & alto persequatur Troianos, naturam syderis Saturni imitans, à quo mortes inferuntur, atra bilis, in aquis summersiones, & suffocationes.

Saturnia. Aduertendum verbum hoc esse deductum ad formam nominum eorum, quæ patronymica à grammaticis appellantur, à Græcis Ionica in ιων, ut κρονιων idest Saturnius; quo nomine sæpe ab

Homero

Homero appellatur Iuppiter Saturni filius? Dicitur autem Iuno Saturni filia, quemadmodum & alii dii, quia sit ille omnium Deorum pater: quæ conformatio verbi ἀντονομασία dicitur à Græcis; qua poetæ frequenter vtuntur; quæ (vt Quintilianus ait libro octauo, cap. vltimo) aliquid pro nomine ponit, vt Tytides, Pelides, pro Diomede, & Achille, Et Diuum pate, atque hominum rex, pro Ioue.

Ad Troiam. Apud, vt Cicero scribit ad Appium: cùm essem in Castris ad fluuium Pyramum; Et ad Atticum. Curio fuit ad me sanè diu. Et ad Marcum Brutum, Ad Mutinam bellum gerebatur.

Nec dum etiam causæ irarum, sæuiq; dolores.

Cur coniũgat iram cum dolore, declarat Aristoteles libro secundo Rhetoricorum; vbi agens de differentia, iræ, & odii, inquit. ἡ ὀργή ἐστὶ ὄρεξις λύπης τιμωρίας φαινομένης διὰ φαινομένην ὀλιγωρίαν, ὁ μὲν γὰρ ὀργιζόμενος λυπεῖται. Hoc est, ira est cũ dolore libido vlciscendi, iratus.n. dolet. Huc respexit HORATIUS, cùm in epistolis inquit.

Qui non moderabitur iræ.
Infectum uolet esse, dolor quod suaserit, & mens.

Exciderant animo. Exprimitur his verbis ἦθος, iniuria affecti, & animi offensi, qui est memor iniuriarum. Nam qui dolet, is meminit. Et qui læsit in puluere, læsus in marmore scribit.

Manet alta mente repostum. Declaratur his verbis

bis natura mulieris, ob formam neglectæ: quæ talem iniuriam pati non potest esse inultam; & vindicta maximè gaudet. Præterea est imitatus Homerum; qui vndecimo libro Odysseæ, facit Tiresiam Vatem sic de Neptuno Vlysi irato dicentem.

οὐ γὰρ οἴω, λήσειν ἐννοσίγαιον ὅ τι κότον ἔνθετο θυμῷ,

Hoc est, non puto Neptunum iram, quam animo iam concepit, depositurum.

Iudicium Paridis. Prima iræ causa, neglectus: Nam Aristoteles libro secundo Rhetoricorum, inter causas iræ, præcipuè commemorat neglectum, atque id confirmat Homeri authoritate, ac uocibus, quæ à fortisimo, ac generosi spiritus viro prolatæ apud eum sunt: Achilles enim, cum matre querens de iniuria, qua erat affectus ab Agamemnone, qui Briseida, ab Achille vnicè amatam, vi abstulerat, inquit iratus. ἠτίμησε, hoc est neglexit: ad quam Homeri vocem respiciens Virgilius dixit,

Spretæq; iniuria formæ. Sed apertius artificium huius loci, ex Aristotelis secundo libro Rhetoricorum explicemus; vt [illegible] constet, cur dixerit.

Spretæq; iniuria formæ. Cur item, Rapti Ganymedis Honores. Aristoteles tres iræ fontes, hoc est causas, vnde ira ducit originem, & excitatur maximè, statuit; καταφρόνησιν, ἐπηρεασμὸν, ὕβριν: id est, despicientiam, incommodationem, contumeliam. Despicientia,

tia, inquit, est eorum, quæ parui ducimus: incommodatio, est alicuius studium alii aduersandi, & conatus desideria illius impediendi. contumelia, est detrimẽtum alicui importare, & dolorem inurere in rebus, è quibus dedecus gignitur illi, qui contumeliam per petitur. Hæc tria complexus est hoc in loco summus poeta: & ideo vere dixit.

Causæ irarum. Nam in spreta forma, est hoc importatum incommodi Iunoni; quod, cum illa cuperet maximi fieri à Paride, neglecta est; cum inferiori deæ est posthabita; Et in hoc est despicientia. Dedecus in eo, quod sit victa à Venere Paridis iudicio: vinci enim turpe est; Item & Heben filiam Ganymedi posthabitam; Quod enim Maius dedecus esse potest, quam reginæ Deûm filiam, munere suo, & honore ante sibi habito, vnius pueri mortalis, & hominis filii causa, priuari? Illo autem verbo. Iniuria, Declaratur opinio irati; Nam Cicero Tusculanarũ quæstionum libro quarto, inquit. Ira est libido puniendi eius, qui videatur læsisse iniuria. Hæc igitur omnia, quæ hic de ira Iunonis dicta sunt, ex iræ definitione sumpta videmus. Nam in illis verbis. Arcebat longe latio, est libido vlciscendi: in illis; Spretæq; iniuria formæ, est despicientia cum iniuria coniuncta: quæ omnia sunt, cum à Cicerone, tum ab Aristotele in iræ definitione adhibita, & inter causas iræ

con-

connumerata: cùm verò ait.

Spretæq́; iniuria formæ,

Et genus inuiſum, & rapti Ganymedis honores.

Oſtendit nobis quas ob res homines iraſcantur: & ſententiã Ariſtotelis ſecutus eſt, in eodẽ Rhetoricorũ lib. vbi definitur ira ὄρεξις τιμωρίας διὰ φαινομένην ὀλιγωρίαν τῶν εἰς αὐτὸν, ἢ εἰς αὐτὸ τινὰ μὴ προσηκόντως. hoc eſt, iraſcuntur homines, cum vel ſeſe, vel aliquem ſuorum negligi, contra id, quòd oportebat, exiſtimant. Quis non videt, & hæc tria ineſſe his verbis? Spretæ enim formæ iniuria refertur ad ipſam Iunonem: Rapti Ganymedis honores, ad Heben filiam: & hæc contra æquum facta putat Iuno, quæ iure ſuo, ſibi videtur Veneri, & Hebe Ganymedi anteponenda.

Nec dum etiam cauſæ irarum ſæuiq́; dolores

Exciderant animo, manet alta mente repoſtum:

Iudicium Paridis. Homerus Iliados primo: ἐνστήθεσσι λασίοισιν ἔχει. Qua ratione ad naturam dolentis exprimendam (vt optimo poetæ conuenit) dixerit. Sæui dolores non exciderant animo, & manet alta mente repoſtum Iudicium Paridis, docet Ariſtoteles libro ſecundo, de arte dicendi, cum ait. ἔστι δὲ τὰ λυπηρὰ πάντα αἰσθητά. Hoc eſt, quæ dolorem faciunt, cuncta ſenſum mouẽt, nec eſt niſi ex eo, quod ſentias, dolor, inquit Seneca: ſi erant in animo ſæui dolores, conſequebatur, vt Iunonis, animus maximè

mouerετur, quod intelligeret contumeliam iudicio Paridis sibi factam.

Rapti Ganymedis honores.

Nos primò verum Ganymedis raptum, deinde fabulosum, postremò allegoriam declarabimus. Ganymedes fuit Trois Troianorum regis filius, qui, vt referunt Eusebius, & Orosius à Tantalo raptus est in gratiam Iouis Cretensium regis ob egregiam illius formam: vnde postea bellum atrox exortum est inter reges Troianorum, & Cretensium. Fulgentius verò libro secundo, μυθολογικῶν. inquit, Rapuit Ganymedem nō aquila verè volucris: Iuppiter enim, vt Anacreon antiquissimus author scripsit, dum aduersus Titanas, id est Titani filios (qui frater Saturni fuerat) bellum susciperet, & sacrificium cœlo fecisset, in victoriæ auspicium, aquilæ sibi adesse prosperū vidit volatum: pro quo tam fœlici omine, præsertim quia & victoria est consecuta, insignis bellicis sibi aquilā auream fecit, tutulæq; suæ, ac virtuti dicauit, vnde & apud Romanos huiusmodi signa tracta sunt: Ganymedē vero, his signis bellando præeuntibus rapuit: sicut Europam in Tauro rapuisse fertur, idest naui ad Tauri similitudinem facta: At poetæ fabulantur illū ab Ioue in aquilam mutato ad stuprum, & pocula sibi ministranda raptum. Xenophon autem in conuiuio quid ἀλληγορικῶς raptus Ganymedes significet his verbis

verbis declarat. Illud affirmo ipſum quoq; Ganymedem non propter corpus, ſed propter animũ in cœlum à Ioue eſſe translatum, cui rei vel hoc ipſum teſtimonio ſit. quod eſt apud Homerũ: γάνυται δὲ ἀκούων. hoc eſt lætatur audiendo, & varia animo μήδεα voluit, quo ſignificatur Iouem conſilia in animo volutare prudentiæ plena: ex his igitur duobus non propter corporis voluptatem, ſed propter ſcientiarum iucũditatem nuncupatus Ganymedes in Deorum numerũ eſt relatus: vt ex Ethymologia vocabuli ꝓbatur, qđ compoſitũ eſt ex verbo γάνυμαι, quod eſt lætor, & nomine μήδος id eſt conſilium: quia prudens conſilio gaudet, & id ex pura mente naſcitur, quam Iuppiter poſtea ad ſeſe rapit, & in conuiuio adhibet: quia in prudentum conuiuio requiritur tranquillitas mẽtis, quæ ab omni externa cura liberatur: canis verò hoc eſt appetitus rationi contrarius latrat in auras, ſed fruſtra, iam enim prudentis animus eſt ita in recta ratione obfirmatus, vt ab ea nullo modo poſsit dimoueri. Hoc optimè nouit, & in ſuis ſymbolis ſignificauit Achilles Bocchius præceptor meus vir doctiſsimus, & optimus, qui de Ganymede ſic cecinit.

Ille opifex rerum, mundi melioris origo
Non forma capitur corporis. Aſt animi.

Ipsum testatur nomen: nam summa uoluptas
Est homini, cùm se cogitat esse pium.
Quid sibi uult aliud pietas, quàm noscere uerum,
Et puro mentis flore Deum colere?
Hac ipse allectus rex maximus, optimus, ad se
Nos rapiens, dira morte carere facit.
Qua mens lætitia effertur se cura tuendo
Diuinam speciem? id nectar, & ambrosia est,
Interea canis obscœnæ latratus in auras
Sæuit nequicquam. hæc bruta cupido hominum est,
Quæ sunt inferiùs, sublimis at ille triumphat:
Tu quoque sic utinam mens rapiare mea.

Hæc hic volui ascripta carmina, cum, vt quanta sit poetarum sapientia, perspiceretur, qui quod obscœnum maximè, ac nefarium rerum imperiti homines putant, id ipsi castissimum, & maximè pium fabularum fictione doctis, & bonis patefaciunt: tum, vt, quam possem, magistro meo gratiam referrem.

Iudicium Paridis.

De quo vide Luciani dialogum de iudicio Dearum. vide Iginum, Ego tantum referam, quæ a Fulgentio de hoc iudicio μυθολογικῶς narrantur. Sic enim ait. Philosophi tripartitam humanitatis voluerunt esse vitam, ex quibus primam statuerunt θεωρητικὴν, alteram πρακτικὴν. Tertiam voluptariam, quæ cum sint maximè inter se diuersæ, & sæpe contrariæ, plurimumque

quę in hoc mundo posse poetæ considerarent, eas tres esse deas sunt commenti inter se de sua pulchritudine contendentes; quæ sint iudicio imprudētis, ac rerum imperiti adolescentis cōmissæ, qui Venerē hoc est uoluptatem Palladi, & Junoni, id est sapientiæ, & honoribus anteponendam ducit, quia adolescentia est ad voluptates prona, & omnia voluptatibus metitur, vnde & patriam suam, suosq; omnes Paridis exemplo perdit. Ex hisce carminibus etiam illud discimus, quod est apud Aristotelem in libro de poetica, fabulam esse poetices animam, & ex materia fabularum sua poemata poetas conficere.

His accensa super iactatos æquore toto
Arcebat longè Latio.

Est hæc complexio manans ex superioribus caussis: nam propositio est Iuno erat irata Troianis: Ratio, quia spreta fuerat ipsa, & eius filia; & quia ab eis instabat Carthagini periculum, ergo illos persequebatur, & longè Latio arcebat.

Accensa. Verbum translatum est, cuius modi sæpe utuntur Poetæ, quia (vt ait Aristoteles in libro de Poetica) grandem, suauem, illustrem, & ornatam efficiunt orationem uerba translata. & Quintilianus libro nono, ait, talem translationē significationis caussa adhiberi solere, vt Incensum ira, inflammatum scelere: significantiùs enim rem ob oculos ponunt. Et

cum

cum ea sit maxima virtus translationis, vt sit quadam similitudine verbum translatum proprio cōiunctū, ignis cum ira hoc habet simile, quod, vt ignis accendit ligna, sic & ira animum, vnde & definitur accēsio sanguinis circa cor: præterea, vt ignis non nisi fomētis, & nutrimentis aridis accenditur, sic ira nisi præcedentibus causis non excitatur.

Troas relliquias Danaûm, atq; immitis Achilli
Arcebat longè Latio: multosq; per annos
Errabant acti fatis maria omnia circum.

Pura hæc est narratio: nam auctore Aristotele debent Heroici Poetæ nunc ipsi narrantes, nunc alienā personam induentes rem exponere: quod paulò inferius seruat. cum sumens Iunonis personam sic exponit.

Mene incæpto desistere uictam?
Nec posse Italiâ Teucrorum auertere regem?

Nam sic variè dum exponunt res sibi propositas Poetæ, magna auditores afficiuntur uoluptate.

His. Versus incipientes à dictione vnius syllabæ, & à spondæo stabiliunt orationem, & sonantiorem reddunt. vt paulò inferius.

Vix è conspectū Siculæ telluris in altum:

Et alliteratio (sic enim appellat Pontanus earundē syllabarum, vel similium repetitionem) explicat nobis irati animi æstum: vt sa, su.

Achilli.

Achilli. Hic ommitto quicquid à Grãmaticis de hoc casu dicitur, cùm alii secundum, alii tertium esse contendant, id dico à summo Poeta Euphoniæ causa dictum Achilli abiecto s, quod elementum asperum est, & asperam efficit orationem: nemo est enim, qui non uideat, si dixisset immitis Achillis sibilum auribus molestum futurum fuisse: Illud nobis, quod ad affectum misericordiæ in Troianos mouendum ualet plurimùm, est considerandum, quia hoc maximè commendat poeticum sermonem: si affectus crebrò moueantur. Est igitur pathos excitatum.

Iactatos æquore toto. A' fortuna.

Troas relliquias Danaum, atq; immitis Achilli

Arcebat longè Latio.

Multosq́; per annos: A' tempore.

Errabant. A' re ipsa.

Acti fatis. A causa.

Maria omnia circum. A' loco.

Tantæ molis erat Romanã cõdere gentẽ. Ab exclamatione.

Huiusmodi sententiæ conformationem appellat Quintilianus libro octauo capite quinto Epiphonema: idest rei narratæ, uel probatæ summã acclamationem, quæ maximè auditorum ferit aures.

Vix è conspectu Siculæ telluris in altum
Vela dabant læti, & spumas salis ære ruebant,
Cum Iuno æternum seruans sub pectore uulnus
Hæc secum. Hoc

Hoc est principium narrationis actionis Aeneæ à summo Poeta imitatione explicandæ: vbi illud primò est animaduertendum tria illa esse hactenus ordine posita, quæ in suorum poematum principiis solēt seruare optimi Poetæ, propositionem totius rei. vt

Arma uirumq; cano. Inuocationem, vt

Musa mihi causas memora. Narrationem. vt hoc loco.

Vix e conspectu Siculæ telluris in altum.

Deinde ad artificium huius narrationis cognoscēdum necessaria est cognitio differentiæ, & similitudinis narrationis poeticæ, & historicæ. de qua nos breuiter dicemus ea, quæ ex uariis scriptoribus collegimus, quod & ab Aristotele in libro de Poetica video factum: vbi ait: quoniam est Heroici Poetæ unam perfectam actionem imitatione exprimere, ne quis decipiatur, & existimet historiæ similem esse Epopicam narrationem; sciat historicum multas, & uarias complecti actiones, ordine temporis seruato, vt forte, vel consilio euenerunt; At poeta exponit vnam tantum, eamq; ex personæ decoro, respiciens, vt omnia, quæ dicit, sint inter se consentanea. Primùm igitur sciendum est tria esse narrationum genera: vnum rei gestæ, alterum fictum, tertium mistum. primùm est historici proprium, alterum poetarum: tertium vtriusq; commune: sed magis tamē poetarum: vt nar

rare

rare gesta Pompeii Cæsaris, vt narrarunt Plutarchus, Suetonius, & alii historici: Narrare verò vt Virgilius narrauit de descensu Aeneæ ad inferos, & Ouidius de mutatione hominum in arbores, vel Deos: est unius poetæ; Item narrare aduentum Aeneæ in Italiã, & addere de Aeolo, Iunone, & Harpis, quæ adduntur à Virgilio, id etiam est poetæ. Sed narrare aduentum Aeneæ in Italiam, verè, vt fuit, & nihil aliud effingere, præter sermonẽ, quem habuit, cum Latino rege, & orationem legatorum, est historicorum.

Hoc præterea differunt, quòd poeta hunc habet finem, imitari: historicus. Narrare: sed tamen in hoc conueniunt, quòd vterque hoc facit iuuandi, & delectandi studio.

Item poeta vnam tantùm (vt diximus) actionem sumit imitatione explicandam: Historicus vnam, & plures, vt ex Liuii, & Salustii scriptis colligere possumus. Item poeta propositum habet τὸ δόξαι. & illud quod Aristoteles vocat εἰκὸς id est verisimile: vt Virgilius de Sinone narrat verisimilia: Historicus τὸ ἀληθές: hoc est verum. Item poetæ propositum est ἁρμόττον, καὶ ὁμαλόν id est decorum, & æquabile: quod declarauit horatius hoc carmine.

Primo ne medium, medio ne discrepet imum.

Et qualem initio statueris personam, ad extremũ seruetur eadem. At historico secùs est faciendum,

qui diuerſa narrat, diuerſis locis, temporibus, ac perſonis geſta; Et, vt geſta ſunt, verè narrat: vt Saluſtius deſcribit varium nobis Catilinam, & talem Annibalem; cuius ingentes virtutes, ingentia vitia ſuperarent. Item hiſtoria ſubnectitur Rhetoricæ, eſtq; illius pars; quoniã eſt copiosè, diſtinctè, & ornatè ſcribenda, ſi mores alicuius, & oratio effingantur; quod in concionibus fieri ſolet; & à Thucidide primùm factum fuit: vndè eſt à Luciano politè dictum, licere hiſtorico in concionibus ῥητορεύσαι id eſt Rhetorico more dicere: Eſt planè affirmandum, à Rhetorica naſci hiſtoriam: nam Rhetorice hiſtoriam facultatem parit, atque alit, tanquàm mater.

Item Hiſtoricus ſpectat ſingularia, hoc eſt ſingulorum hominum actiones, & nõ omnes, ſed illuſtres tantùm narrat. Hinc Cicero cum Attico conqueritur, quòd nihil hiſtoria dignum habeat, quod ſcribat. Videmus enim Plutarchum, Saluſtium, Liuium ſcribere ſingula quæq;, ſed animaduerſione digna. At poeta vniuerſa, & ſingula reſpicit, quæ ex vniuerſis deducit. Non enim Homerus cùm iratum nobis Achillem, & Vlyſſem ſapientem effinxit; quid eſſet in Achille irato ſolum vel Vlyſſe ſapiente; ſed, quæ omnia in homine irato ſolent eſſe Achilli, quæ verò in ſapiente, ea Vlyſi attribuit. Sic & Virgilius non tantùm, quæ ſunt in Aenea, ſed quæ in perfecta pietatis

forma

forma sunt, spectans, Aeneæ: attribuit vt pictor, cùm pingit equum, non hunc, aut illum equum, sed perfectam equi effigiem animo intuetur. Et hac ratione dixit Aristoteles poeticam esse historia præstantiorem, quia propiùs ad philosophiam accedat, quàm historia. Philosophia enim vniuersum genus considerat: vt quid sit homo: non quid Antonius, aut Socrates: quia indiuiduorum non est certa scientia: At poetæ hoc vniuersum expresśiùs ponunt, quàm philosophi: quia illud vniuersum ad singula applicant; philosophi minimè: vt cùm de prudentia, vel de aliis virtutibus agit Aristoteles, quid sint, quod eorum officium, quæ iis sint contraria tantum docet: non autem aliquo in homine expressa probat. At Homerus, prudentiam in Vlysse, oculis subiicit contẽplandam. Idem facit Virgilius in Aenea, summam nobis ostendens pietatem. Differunt prætereà poetæ ab Historicis orationis numeris; quibus est astrictior poeta, quàm historicus; & verborum ornatu; cui magis indulget poeta. Est enim locutio poetica, vt lasciua quædam, & fucata mulier, in Theatris, & multitudine hominum versans. At Historica, vt virgo quædam, vel saltem matrona, quæ mentiri erubescit, & fucum odit: decorè tamen, & grauiter ornata. Hinc dixit Cicero in secundo de Oratore. Verborum ratio, & genus orationis historicæ fusum, atque tractũ,

cum lenitate quadam æquabili profluens, ſine aſperitate, & aculeis forenſibus. Item narratio poetica debet habere τὸ ἑφεξῆς, hoc eſt, rerum conſequentium inter ſe connexionem: vt videre vnicuique licet in hac poetæ ſummi narratione. Nam cùm Aeneas delatus ſit tempeſtate Carthaginem, venerit ad Didonem, acceptus fuerit conuiuio, narrauerit Troiæ excidium, ac ſuos errores; conſentaneum eſt, vt Dido ſit illius amore capta. Et hæc ſingula ſe conſequantur, & antecedant ſecundum veriſimile. At ſecus in hiſtoria: quæ habet fortuitũ ordinẽ: & in qua nec alterũ, alterius cauſa fit: neq; reſpiciunt ad eundẽ finẽ oĩa. vt Cicero procõſul in Cilicia fuit: idem ROMAM reuerſus, fauit Pompeio: Cæſar in Gallia bellum gerit: Idem contra Pompeium ducit exercitum. Hæc vides diuerſa, & minimè inter ſe cohærentia. Itaque ordo poeticus habet εἱρμὸν: Hiſtoricus τάξιν. hoſt eſt in rebus narrandis diſiunctum; poeta connexum habet ordinem. Ac de diſsimilitudine poeticæ, & hiſtoricæ facultatis hactenus: deinceps de ſimilitudine dicamus.

Primò eundem ortum habent: nã à natura vtraq; originem ducit. Vt enim homini à natura eſt inſitũ imitandi ſtudium (quod videmus in pueris, nutricis vocem, & geſtus effingere conantibus.) Et Ariſtoteles ait, hominem eſſe animal maximè μιμητικόν, ideſt à

natura aptum ad imitandum(quod est propriũ poetæ) sic, & ab eodem fonte, studium res suas ad posteros propagandi, & narrãdi, quæ gesta sunt, & efficiendi sui memoriam maximè diuturnam, est ab eodem fonte naturæ deriuatum. Vnde, & Historia nomen sumpsit suum: quandò ἱστορεῖν Græcè nihil aliud est, quam perquirere, inuisere, & perquisita memoriæ prodere.

Deinde habet utraq; rerum uetustarum, ac longè remotarum repetitiones, vt Virgilius.

Rex arua Latinus, & Vrbes,
Iam senior, longa placidas in pace regebat
Hunc Fauno, & nympha genitum, laurente Marica
Accipimus.

Salustius in Iugurtino bello narrando inquit. Bello punico secundo, quo dux Carthaginensium Annibal, post magnitudinem Romani nominis, Italiæ opes maximè attriuerat; Masinissa Rex Numidarũ in amicitiã est receptus à Publio Scipione. Et in Catilinæ coniuratione explicanda: Vrbem Romam, sicuti ego accepi, condidere, & initio habuere Troiani; qui Aenea duce profugi, sedibus incertis uagabãtur: Item uterq; affert in medium causas eius rei, quam narrandam susceperit, antequàm narrãre incipiat: vt hic, ante rei ipsius narrationem, causæ errorum, & laborum Aeneæ narrantur, ab illo uersu

Vrbs antiqua fuit,

Vſque ad illum

Tantæ molis erat, Romanam condere gentem.

Sic,& Liuius. Odiis propè maioribus certatū eſt, quàm viribus, Romanis indignantibus, quòd victoribus victi vltrò inferrent arma, Pœnis, quòd superbè, auareq; crederent imperitatum victis eſſe;&alia, quæ de Annibalis indignatione referūtur, ob Siciliā, Sardiniamq; amiſſas.

Item vtrumq; ſæpè oportet locorum, gentiū mores,& leges deſcribere: Vt Saluſtius. Res poſtulare videtur, Africæ ſitum paucis exponere, & eas gentes, quibus cum nobis bellum,& amicitia fuit, attingere. Cæſar commentarios rerum ſuarum à deſcriptione Galliæ incœpit. Virgilius.

Eſt locus, Heſperiam Graii cognomine dicunt.

Mores,& ritus feriendi fœderis explicantur hiſce Liuii verbis. Eàq; vti ſcirent rata fore, agnum læua manu, dextra ſilicem retinens, ſi falleret Iouem, cætcrosq; precatus Deos, ità ſe mactarent, quemadmodum agnum ipſe mactaſſet. Et, ſecundum precationem, caput pecudis ſaxo eliſit. Virgilius idem paucis expreſsit.

Et cæſa feribant fœdera porca. &

Mos erat Heſperio in Latio, quem protinus urbes
Albanæ coluere ſacrum, nunc maxima rerum

Roma

Roma colit.

Et in ſepeliendo Miſeno, ritus omnes ſepulchrorum recenſet.

Item vterq; iiſdem ſæpè utitur pedibus in oratione. Liuius enim, & Saluſtius hiſtoricorum principes hiſtoriam ſuam, alter à verſu dactylico, alter ab exametro integro ſunt exorſi: vt legenti facilè patet. Facturus nè operæprecium ſim. Et Saluſtius Bellũ ſcripturus ſum, quod populus Romanus, quæ verba Heroicum verſum, ſenarium, grauẽ numeris, & rei grauitati explicandæ accommodatum conſtituunt.

Item ambo in principio proponunt rem, vt Virg.

Arma uirumq; cano,

Et Saluſtius. Bellũ ſcripturus, quod populus Romanus geſsit cum Iugurtha Numidarum Rege.

Item, vt Virgilius cauſam ſimul, & euentus rei reddit.

Multum ille, & terris iactatus, & alto,
Vi ſuperùm, & ſæuæ me morem Iunonis ob iram,

Sic Saluſtius. Primùm quia magnum, & atrox bellum, variaq; victoria fuit: deinde quia tum primùm potentiæ nobilium itum eſt obuiam, quæ cõtentio diuina, & humana omnia permiſcuit, eoq; vecordiæ proceſsit, vt ſtudiis ciuilibus bellum, atq; vaſtitas Italiæ finem fecerit.

Verba item quædam à Poetis ſumit Hiſtoricus.

vt

vt Salustius. Tuba hostium cecinit. Tela vtrinq; volare: Strepitus armorum ad cœlum ferri. fors omnia regere.

Item in fine conuenit Historicus cũ Poeta, & philosopho in hoc, quòd, cùm omnibus hic videatur finis propositus, vt iuuent, diuersa ratione horũ vnusquisq; assequitur. Philosophus enim finem homini constituens fœlicitatem, qualisq; ea sit exponens, docet quo eam consequamur modo: cùm medium vitiorum virtutem vtrinq; redactũ esse ostẽdit, & perturbationes procul fugandas, homines paulatim à vitiis ad virtutes reuocat, atq; ita afficit, vt nihil laudãdum putent, nisi quod sit cum virtute coniunctum. studet id ipsum assequi etiam Poeta suis imitationibus. vt Virgilius in Aenea: Homerus in Vlysse, & Achille, & aliis tùm personis, tùm fabulis. Historicus quoq; huic est vni rei intentus, exemplis, hominibus proponens, ac suadens quid sit honestum, quid turpe, quid vtile, vel quid inutile multò fortasse meliùs, ac pleniùs, quàm Philosophi. Nam cũ duplex sit oratio, qua suademus aliquid, altera Enthimematis, altera exemplis constans: quæ nititur Enthimematis, est Rhetorice, quæ exemplis est Historia: vtraq; vtitur Poeta. Postremò ambæ seruiunt Politicæ, & Ethicæ: hoc est ei philosophiæ parti, quæ de moribus, & ciuitatum administratione pertractat: nam vtraq; in

hominum

hominum moribus, ac legibus explicandis, in rerum pub. formis, magistratuum sortitione, iudiciorum ratione describenda multum operæ ponit. vt Virgilius de Didone.

Partibus æquabat iustis, aut sorte trahebat.

Et in sexto libro.

Neque hæ sine sorte datæ, sine iudice sedes
Quæsitor Minos urnam mouet.

Ex Historicis nihil est, quod proferamus huiusmodi exempla: legentibus enim ea sese passim vltro offerunt: Nunc videamus quid ordo Historiæ postularet in explicandis Aeneæ erroribus. Hoc nempe, vt historicus sic inciperet narrare.

Classemq; sub ipsa
Antandro, & Phrygiæ molimur montibus Idæ
Incerti quò fata ferant, ubi sistere detur.

Deinde narraret, vt in Thraciam Aeneas peruenerit, & quæ ibi sit passus, & necem Polydori: inde in Delum Aeneam classe appulisse: vbi fata sua, & aduentum in Italiam ab Apollinis oraculo didicit, prætervectumq; esse Cycladas insulas, Ortygiam, Paron, Naxon, in Cretam venisse, unde coactus est peste discedere: ad Strophadas insulas delatum, unà cum suis maxima tempestate iactatum, Harpyarum iniurias passum; Ithacam, & reliquas Græcorum insulas prætervectum, in Epirum uenisse; ubi Andromachen of-

M fendit

ſendit in littore, Hectori parentantem; ubi ab Heleno uate fata ſua audiuit: Inde in Siciliam: unde breuis erat in Italiam tranſitus; tempeſtate unà cum ſuis in Africam eſt delatus. Hic erat ordo ueri narrandi. At poeta, cui (ut diximus) una unius hominis actio, eſt propoſita explicanda; incipit à principio quidem illius actionis, ſed poſtea multa quæ multò antè præceſſerunt; quæq; ab Hiſtorico antè narrarentur, narrat: & maiorē habet perſonæ narrantis, quàm rei rationem. Ac de artificio narrationis poeticæ hactenus.

Nunc, quàm ſcitè, Iunonem faciat ſecum deliberantem Troianos perdere, & quàm Iunoni conueniat huiuſmodi oratio dicamus. Ad quod planè intelligendum oportet meminiſſe ſuperiùs effictam Iunonem, & amantem, & metuentem, & iratam. Qui metuit, ſecum deliberat, quomodo malum uitet, quod timet. Qui amat, obſeruat diligenter locum, tempus, & occaſionem de illo, quem amat, benè merendi. Iratus cupit ulciſci eum, cui eſt iratus. Qui iniuriam accepit, ulciſcendi tempus ſeruat, (ut ait Ariſtoteles libro ſecundo Rhetoricorum.) ἀεὶ τηροῦσι καιρόν. Iuno igitur his animi perturbationibus commota, opportunitatem ſeruauit, & Troianos, quos oderat, perdendi, & Carthaginenſes, quos amabat incolumes ſeruandi, & iniuriam ſibi illatam à Gany-

à Ganymede,& Paride, vlciſcendi, cùm primùm vidit illos mare Siculum ingredi. Et quia mala propinqua timemus; à loco, propinquum maximè malum videbat: cum ex Sicilia breuis eſſet in Italiam tranſitus: & facultatem ſibi putabat à loco datam Troianos ſummergendi, cum nauigarent mare procelloſum. VIX: hoc verbo ſignificatur diligentia Iunonis in obſeruandis Troianis ſumma. Læti: hoc verbum valet ad oſtendendam Iunonis iram,& dolorem magis inurendum: nam qui eſt iratus, dolet vehementerq; cõmouetur, cùm videt ſuos aduerſarios lætari.

Cùm Iuno æternum ſeruans ſub pectore uulnus
Hæc ſecum.

Hæc verba irati,& læſi animi morem,& quaſi habitum futuræ orationi maximè conuenientẽ ſignificant. Nam mos irati,& offenſi eſt animi, meminiſſe offenſionis; & ita loqui, vt hic loquitur Iuno: Vbi duo notanda ſunt, ad artificium poetices pertinẽtia: unum, τὸ ἦθος commoti animi; alterum, perſonæ decori; nam ſuperiùs dixit.

Memorem Iunonis ob iram
Et manet alta mente repoſtum
Iudicium Paridis.

Cui hõc reſpondet.

Aeternum ſeruans ſub pectore uulnus.

Nam eadem ſeruanda eſt perſona, quam à princi

pio feceris. Hæc secum. Ideo poeta retinuit verbum locuta est, vel deliberauit: vt hæc forma dicendi sit quasi prænuncia futuræ orationis, iratæ Iunonis. Imitatus est hoc in loco Homerum; qui libro quinto Odysseæ, facit Neptunum Vlysi iratum, cùm primùm vidit illũ à Calyssone Nympha digressum, ac nauigare secundo vento, secum deliberantem de Vlysse mari obruendo, ac talia verba, qualia propemodum hîc Iuno profert, proferentem. Verba Homeri sunt hæc.

Γηθόσυνος δ' οὔρῳ πέτασ' ἱστία δῖος ὀδυσσεύς,
τὸν δ' ἐξ αἰθιόπων ἀνιὼν κρείων ἐνοσίχθων,
τηλόθεν ἐκ σολύμων ὀρέων ἴδεν, εἴσατο γάρ οἱ
πόντον ἐπιπλώων: ὁ δ' ἐχώσατο κηρόθι μᾶλλον,
κινήσας δὲ κάρη προτὶ ὃν μυθήσατο θυμόν.

Hinc discere possumus, qua ratione, quæ ab aliis dicta sunt, imitari, ac nostra facere debeamus.

Spumas salis ære ruebant.

Ideo spumas salis dixit: quia aqua salsa efficit spumam densiorem, quæ fit ex aere, & aqua mota. Animaduertit Pontanus hoc in carmine sex continentes dictiones duarum syllabarum: à quibus summa venustas lætitiam Troianorum exprimẽs numero ipso verborum; Et Alliteratio illa, Re Ru, spumam maris, & velocitatem nauigandi ob oculos posuit, in hoc verò.

Cùm Iuno æternum seruans sub pectore vulnus.

Notan-

Notantur quatuor ſpondæi, nullo dactylo interpoſito, ad diuturnitatem, & magnitudinem odii ſignificandam? Nam grauitatem, & tarditatem afferunt orationi ſummam. Item hæ duæ conformationes verborum, vulnus pro odio, & æternum pro perpetuo, quarum altera eſt hyperpole, altera metaphora) maximum Iunonis odium oſtendunt.

Vix è conſpectu. Ideo incipit à ſeptimo anno errorum Aeneæ poeta, & pauca ipſe narrans de Aenea, facit plurima narrãtem Aeneam ipſum Didoni, cùm tempeſtate eſſet Carthaginem delatus; & à Didone hoſpitio, & conuiuio regio acceptus; quia nimis longum fuiſſet omnia, vt cæperat, narrare, & poema Heroicum debet complecti vnam actionem, quæ non excedat ſpatium vnius anni ad ſummum, & ideo plurima interponuntur epiſodia, quæ ſunt cõiuncta quidem cum actione illa. ſed ſunt tamen extra illam, vt ex Ariſtotele collegit Minturnus libro ſecundo de poeta: ſic ait. Siquidem tota fabula Epica, debet ea eſſe, quæ vno intuitu poſſit ſpectari, hoc eſt. ευσυνοπτος, vt ait Ariſtoteles.

Me ne incepto deſiſtere uictam.

Hic videmus ſeruatum eſſe Ariſtotelis præceptum: quod eſt, vt Heroici Poetæ in exponendis iis, quæ exponenda ſibi propoſuerunt, nunc ipſi narrẽt, nunc alios faciant narrantes, Nã ipſe Poeta ſuperius

quædam

quædam expoſuit: nunc Iuno ipſa loquitur. vt autẽ apertius intelligatur orationis Iunonis iratæ artificium, Latinè referam verba Ariſtotelis, quæ ſunt ſcripta in libro ſeptimo, capite ſexto Ethicorum, de ira. Ira (inquit) parere illa quidem videtur quodam modo rationi: ſed more miniſtrorum, & ſeruorum eorum, qui præproperè munia obeant: qui antequàm omnia, quæ præſcribuntur, audierint, imperantem beant: deinde officio deſunt: & ritu canũ, qui priuſquàm conſiderarint, ſit ne amicus, qui pulſauit, allatrant: ſic ira feruore, ac repentino motu incitata audit illa quidem rationem: ſed præſcriptione non intellecta, ad ſupplicium ſe, vltionemq; conuertit: cùm enim ratio, vel viſio potiùs, contumeliam, vel contemptum ſubeſſe docuit, hæc, tãquàm ſit collectum ratiocinatione, huic, vel illi bellum eſſe inferẽdum, repentè excandeſcit. Ex quibus Ariſtotelis verbis, luce clariùs apparet, ſummum Poetã in Iunone expreſſiſſe omnia, quæ de natura iræ ibi ſunt dicta ab Ariſtotele. Nam primò exclamat: deinde ratiocinatur ſecum: poſtremò, quaſi perſpecta contumelia, & cõtemptu, ad exitium Troianorum ſeſe comparat. Vbi videre vnicuiq; licet, qua ratione, à philoſophis ſumpta, ad poemata efficienda conuertant poetæ. Eſt etiam animaduertendum, Iunonem non irati tantum hominis, ſed odio etiam habentis perſonam, ſuſtine-

re:

re: vtriusq; magnam habuit rationem Vergilius. Vt enim, qui odit, cladem, & iratus mœrorē afferre studet: sic Vergilius vtrunq; conantem efficere Iunonem, & tandem effecisse, paulò inferiùs probabit. Et cum odium excitetur illarum rerum causa, quæ ad alios attinent: ira earum causa, quæ & ad se, & ad aliquem suorum spectant; & in singulos ira, odium in genus vniuersum exardescat; & sua, & suorum causa, non tantùm Aeneam, sed genus uniuersum Troianorum Iuno extinctum volebat: quæ omnia de ira, & odio ab Aristotele libro secundo Rhetoricorum dicta, hic sunt ad hosce duos potentissimos morum affectus in Iunone verisimiliter exprimendos à summo Poeta seruata. Ad imitationem Homeri, hæc à Vergilio ficta est oratio. Nam sic Neptunus libro quinto Odysseæ loquitur iratus.

ὢ πόποι, ἦ μάλα δὴ μετεβούλευσαν θεοὶ ἄλλως
ἀμφ' Ὀδυσσῆϊ ἐμεῖο μετ' Αἰθιόπεσσιν ἐόντος.

Vbi videmus sententiam ab Homero mutuatū Virgilium, eam posteà amplificasse, & exornasse cōparatione Palladis, & sui. Quin, cùm deliberet hic secum Iuno; vt moram, & quasi statum corporis, & animi deliberantis indicaret, adhibuit duas vnius syllabæ dictiones, & quatuor continentes spondæos. Præterea, hæc mulieri Deū Reginæ ob formā spretæ dicta, conueniunt. Furit.n. (vt ait Seneca) in ira mulier.

Hunc

Hunc dicendi modum, Rodolphus Agricola, libro ſecundo, capite duodecimo de inuentione dialectica, appellat argumentationem: quæ poſt expoſitionem locatur. Expoſitio fuit illa.

Vrbs antiqua fuit.

Et reliqua vſque ad

Tantæ molis erat Romanam condere gentem.

Vbi poeta cauſas propter quas oderat Aeneam Iuno, vt certas recenſet. Hic Iuno non dicit ſibi ipſi tanquàm credēti, nolle ſe deſiſtere à propoſito; ſed addita ratione, docet ipſa ſe; quare indignum ſit, vt deſiſtat: hortaturq́; vt in ſentētia permaneat. Et quia contraria contrariis oppoſita faciliùs cognoſcuntur; conferamus ſuperiorem expoſitionem, in qua eadē exponuntur ab ipſo poeta, cum hac argumentatione Iunonis iratæ. In expoſitione, quia vacat animi perturbatione poeta, ſunt omnia ordine dicta; fuſiùs explicata: ab alto repetita; vt certa, propoſita; circūducta oratio; longæ periodi: hic abruptum principium; membra orationis breuia; ſermo conciſus, imperfectus; crebræ interrogationes, exclamationes; omnia denique ad naturam irati dolentis, timentis, ſe cum calamitatem ſuam conquerentis, cauſas ſui doloris exponentis, ſunt accommodatiſsima. ſed fingamus Iunonem ira vacantem, quæ hæc eadem dicat. Debeo ego Troianos perſequi, vlciſci, ac perdere:

quæ

quæ eſt propoſitio totius orationis. Ratio ſequitur; quia turpe eſt me uictam ab incœpto deſiſtere; quia eſt maximo mihi dedecori hoſtes meos inultos abire; Pallas enim inferior Dea eſt ſuos vlta, cum victores abirent, & mei ſint victi, At ſi contra fingas, lætos Troianos à littore Siculo ſoluentes, à Iunone viſos; ſequitur, vt Iuno ira incenſa, ſic cœperit exclamare? Nam affectus ſubitò in id prorumpit, quod primò ſibi obiicitur; quod indignum, ac ſibi turpe videatur. Et ideo hæc primò profert verba; quæ indignitatem rei, ac turpitudinem præ ſe ferunt. Me; quæ ſum Deorum Regina, quod verbum non protulit, vt inferiùs paulò proferet.

Aſt ego, quæ diuum in cœlo Regina, Iouisq;

Quia præ ira id proferre non potuit. Et

Incepto deſiſtere uictam?

Rem indignam, & turpem ſignificat. Tota verò hæc Iunonis oratio eſt generis deliberatiui: cuius finis eſt vtilitas honeſtati coniuncta: & in rationem tutam, & honeſtam diuiditur, vt ait autor ad Herenniũ libro tertio. Nam Iuno, neque tutum, neque honeſtum probat ſibi fore, ſi Troiani venerint in Italiam; quòd inde futura ſit progenies Carthaginem euerſura, chariſsimam ſibi vrbem, ac in tutelam ſuam receptam: Atque huius orationis ſumma propoſitio eſt. Sunt mihi vexandi, & perdendi Troiani: quam il-

la irata prætermisit:nã irati oratio artis dicendi præcepta negligit. Huius propositionis hæ sunt rationes sumptæ ex materia turpitudinis, nam τὸ ἡττᾶσθαι, id est vinci,& quæ inceperis, non perficere, (vt ait Aristoteles libro primo Rhetoricorum) est turpe. Quæ duo hoc vno, ac primo argumentationis suæ carmine complexa est Iuno; dicens.

Me ne incepto desistere uictam.

Sed quia poterat occurrere, fata te impediunt, quibus resisti non potest:hæc illa refutat εἰρωνείᾳ; quasi dicat non esse vera fata; & Palladis exemplo ea conatur improbare: & hoc iratam personam in primis decet, negare Deos esse, vel curare mortalia. Sic irata Dido.

Scilicet id superis labor est:ea cura quietos
Sollicitat.
Iam iam nec maxima Iuno,
Nec Saturnius hæc oculis pater aspicit æquis.

Tertium argumentum est ab exemplo & comparatione Palladis: quod habet vim argumenti à Minore (quod vocant) ad maius: & spem ostendit perficiendi: quod in deliberationibus primum omnium est spectandum. Nam si Pallas potuit, est verisimile & Iunonem posse: & adhibuit hoc exemplum ad id probandũ:quia (vt ait Aristoteles libro primo Rhetoricorum) in deliberationibus dominantur exempla;

pla; & ad persuadendum valent plurimum. Verum, quando dixi hoc esse ab exemplo, & comparatione argumentum; quo planius intelligatur huius loci artificium, & personæ decorum; hic ascribam ea, quæ de comparatione, exemplo, & similitudine, & de hac summi poetæ oratione, à Rodulpho Agricola scripta sunt, libro primo, capite vigesimo quinto, de inuentione Dialectica. Explicemus (inquit) quid differant comparatio, & exemplum: quomodo item à cõparatione similitudo discernatur. Comparationem vocamus, cum duo, aut plura in tertio aliquo conferuntur, quod commune sit eis. vt, Catoni licuit sequi bellum ciuile: ergo Ciceroni licebit sequi. Commune est hic, sequi bellum ciuile. Exemplum est species quædam comparationis. Est enim vel aliquid maius, vel par, vel minus, quod ad imitandum, vitandumue sumitur, vt apud Lucanum.

Omnis potestas,
Impatiens consortis erit.
Nec longè factorum exempla petantur
Fraterno primi maduerunt sanguine muri.

Romulus enim, & Remus, primi Romæ reges, ostendunt non posse regnum in consortium mitti. Similia sunt, quando iunguntur aliqua, non in tertio, quod sit ambobus cõmune, (quemadmodum hoc in isto, sic illud se habeat in illo, vt si dicam. Quem-

admodum vascula oris angusti, superfluam humoris copiam respuunt: Sensim autem instillantibus, replentur: sic tenera puerorum ingenia grandia non percipiunt: modica, & viribus suis apta, commodiùs addiscunt. Hic vascula oris angusti, & tenera puerorum ingenia, conferuntur non in vno aliquo, sed illa in eo, quod est, non admittere ea, quæ impetu super infunduntur: hæc in eo, quòd difficiliora subito nequeũt amplecti. Cùm igitur Iuno sibi proponit imitandum Palladis factum, est exemplum: cùm se, cum Pallade, confert, & ex collatione vtriusque, nisi ipsa vlciscatur Troianos, sibi summo dedecori id futurũ colligit; est comparatio. At quis dixerit, est similitudo potiùs. Nam conferuntur, non in vno tertio ambabus communi, sed proprium vnicuique datur, & diuersum; quod dixit Agricola esse ad similitudinem referendum: Nam Pallas potuit exurere classem Argiuum: & Iuno non poterit ab Italia Regem Teucrorum auertere? Sed hoc, (inquit Rodulphus) non nititur Iuno, vt Pallas id potuerit, & hoc se non posse: sed quod est ambabus commune: inimicos vlcisci: vt, si Pallas potuit inimicos suos vlcisci, & Iuno poterit. Causa verò quamobrem sic hæc dicuntur à poeta potiùs, quàm commune in vtrisq; ponatur, ea est: quòd poetæ, & oratores debent copiosè, ornatè, & aptè dicere: quod fit, dum, quod paucis posset dici,

plurıbus

pluribus explicatur: dum personæ dicentis ratio habetur: dum conformationes sententiarum, & verborum ornamenta adhibētur: vt hic adhibita videmus: & irati est, & maximè mulieris, dolere & conqueri, quod altera consecuta sit id se consequi non posse, & grauius ferre, si sit illa se inferior, vt Pallas Iunone: Item cum indignatione referre, quid sibi sit mali, & alteri boni. Quæ hic omnia, ex officio boni poetæ seruata magnopere rem ipsam augent, & orationem exornant. Quod Agricola animaduertens, ita exposuit. Cùm posuisset primùm Pallada, nihil adiecit Iuno, quò minorem illam monstraret, quasi turpe putaret, quærere maiorem se, alterius deæ conuitio fieri. At cùm ad personam suam venisset, non solùm opposuit se Palladi, vt diceret. Ast ego, quæ diuum incedo regina, nec id satis putauit, sed addidit etiam, Iouis soror, & cōiux: vt vel ex hac magnitudine sua, admoneret minoris numinis, & velut priuatā Deam esse Pallada, postea subiecit. Pallada exurere potuisse, hoc est, funditus euertere, classem Argiuorum: quodq; plus sit, id unius solùm, Aiacis iniuria permotam, fecisse: deq; eo grauissimas sumpsisse pœnas: se uerò, non unum odisse, sed gentem, neque tamen euertere potuisse, aut pœnas sumere; sed bellū etiam cum contumacibus gerere: & quidem tot annos: Vbi duobus è locis uidemus ductas argumentatio-

nes.

nes. Primò à minori, vt potuit Pallas, ergo Iuno poterit à, maiori potuit Pallas vnius obnoxam euertere classem Argiuum: ergo turpe erit mihi Iunoni, tot annos, vna cum gente frustra contendere. Atque hoc orationis genus παθητικὸν dicitur, hoc est, commotum, & concitatum: quod (vt ait Aristoteles libro tertio de arte dicendi) de contumelia, & iniuria expostulanti est accommodatum. παθητικὴ δὲ, ἐὰν μὲν ᾖ ὕβρις, ὀργιζομένου λέξις. hoc est cùm de graui aliqua contumelia, & iniuria agetur, irati subibit personam orator; plenamq; iræ fundet orationem: quæ spectat, vel indignationem, vel misericordiam. Hæc Iunonis oratio, indignationem in Troianos mouet: cuius principium (inquit Macrobius libro quarto Saturnaliorũ) debet esse abruptum; quoniam indignantibus leniter incipere nòn conuenit: nec initium solùm, sed tota (si fieri potest) oratio, pathetica; & breuibus sententiis, & crebris figurarum mutationibus debet velut inter æstus iracundiæ fluctuare: vt hoc in loco vidimus factum à Virgilio: nam incepit ab exclamatione, & interrogatione.

Me ne incepto desistere uictam?

Deinde breues sententiæ, & crebræ interrogationes sequuntur: vt legenti patet. Deinde ironia, irato apta.

Quippe uetor fatis.

Item

Item conqueſtio irriti ſui conatus.

Vna cum gente tot annos, Bella gero. Et

Nec poſſe Italia Teucrorum auertere regem.

Adiungitur argumentum à minore: vt Pathos augeatur.

Pallas ne exurere claſſem

Argiuum, atque ipſos potuit ſubmergere ponto.

Et item Palladis, & ſui cauſarum, & effectorum vtriuſque collatio, ardentem ira Iunonem oſtendit: & odium in Troianos excitat maximum. A' re quoque ipſa augetur πάθος: vt, claſſem exurere, ipſos ſummergere, à modo.

Illum expirantem, transfixo pectore flammas,

Turbine corripuit, ſcopuloq; infixit acuto.

A' materia.

Ipſa Iouis rapidum iaculata è nubibus ignem,

Diſiecitq; rates, euertitq; æquora uentis.

A' neceſsitudine.

Quæ diuum incedo regina, Iouisq;

Et ſoror, & coniux.

Aſt ego. Deſcriptio eſt perſonæ indignantis, ex Ariſtotelis libro ſecundo, de Rhetorica: vbi inquit. ἀγανακτοῦσι διὰ τὴν ὑπεροχὴν, καὶ νεμεσητὸν ἐστι τὸν ἥττω τῷ κρείττονι ἀμφισβητεῖν. Hoc eſt, Excellentia indignationem excitat: & indignationem mouet, videre inferiorem cum ſuperiore contēdere. Quæ duo in Iunone eſſe, aper-

tè

tè oſtendit hoc in loco Virgilius. Hæc enim verba Regina Deum, ſoror, & coniux Iouis, ſummam præſtantiam: vna cum gente, inferiorem Aeneam, ac Troianos indicant. Eadem facit Homerus Iunonem iracundè proferentem.

> πῶς δὴ ἔγωγ᾽, ἥ φημι θεάων ἔμμεν ἀρίστη
> ἀμφότερον, γενεῇ τε καὶ οὕνεκα σὴ παράκοιτις
> κέκλημαι.

Lilius Geraldus, Syntagmate tertio Hiſtoriæ Deorum, ait, Reginam, eſſe cognomen Iunonis: & Reginæ Iunoni templum à Camillo Dictatore, eſſe captis Veiis dicatum. Et verbum, Incedere, eſſe proprium eorum, qui ſacra illius deæ, & ſimulachrum ferrent: quod & Horatius in ſermonibus innuit, dicens, vt Iunonis ſacra ferret. Et apud Græcos extat prouerbiũ. βαδίζειν ἡραῖον ἐμπεπλεγμένον. hoc eſt, incedere Iunonium complicatum gradum. De quo vide Liuium libro ſeptimo Decadis tertiæ, vnde perſpicitur, quàm fuerit ueterum rituum peritus poeta noſter.

Trapezuntius libro quinto Rhetoricorum, explicat huiuſce Iunonis orationis compoſitionem, & numerum. Indignari (inquit) Virgilius facit Iunonem, quatuorq; in carminibus eadem compoſitione utitur, non ſolùm uerborum, ſed pedum quoque. Nam primos dactylos poſuit, & ultimos, medios ſpõdæos. Quod obſeruatione factum certò ſcio: nec enim caſu,

su,sed arte fiunt,quæ in pluribus eodem modo fiũt. Cùm itaque sciret indignantis initia, impetum habere;lentiora cætera: primo loco dactylos collocauit; qui celeritati conueniunt: secundo spondæos,tarditati aptos; Et in primis quatuor carminibus orationis posuit: similiter desinentia quatuor verba paria tempore,& numero; vt,Desistere,Auertere,Exurere,Submergere.

Illum expirantem. Animaduertit hoc in carmine Pontanus, in Actio Dialogo Diligentiam, Virgilii summam in seligendis, non modò verbis, sed etiam literis. Non ne(inquit)poterat sic dicere Maro.Traiecto pectore, suo quidem, ac proprio verbo? Sed cùm antè collocasset,vocem illam.Expirantem;post uerò,Flammas,refertam utranque consonantibus literis; voluit etiam in medio collocare vocem; quæ similibus quoque literis consonaret. Quippè cum in dictione,Traiecto,ea non esset consonantium literarum copia,nec similitudo: quæ vtraq; est in,transfixo.Præterea vt diuturnitatem cruciatus,& tardum ad mortem trãsitum significaret,vsus est in hoc versu,quatuor spondæis continentibus, & literis asperũ sonum,& difficilem habentibus. vt N.X.S.R. Et hoc factum est,ad exaggerandam Palladis vltionem; vndè & Iunonis exaggeratur indignatio? Nam omnes ferè philosophi mortem negant esse malum: sed ac-

cessum ad mortem miserum. Atque hæc omnia in poematibus scribendis esse seruanda præcipit Aristoteles in libro de poetica.

Et quisquam numen Iunonis adoret
Præterea? aut supplex aris imponat honorem?

Hic considerandum est superiora argumenta id probasse, sine maximo dedecore nō posse Iunonem à vexandis Troianis desistere; hæc verò probare, Iunonem nullam fore, si victa, ab incepto destiterit: & ideo superioribus firmiora: nam illa de honore: hæc de salute agunt; secutus est Maro & hic Homerum; apud quē libro decimo tertio Odysseæ, iratus Vlyssi Neptunus, in hæc uerba prorumpit.

Ζεῦ πάτερ οὐκ ἔτ' ἔγωγε μετ' ἀθανάτοισι θεοῖσι
τιμήεις ἔσομαι. ὅτε με βροτοὶ οὔτι τίουσι
Φαίηκες. τοί πέρ τοι ἐμῆς ἔξεισι γενέθλης.

Talis flammato secum dea corde uolutans,
Nymborum in patriam, loca fœta furentibus austris,
Aeoliam uenit. hic uasto rex Aeolus antro,
Luctantes uentos, tempestatesq́ sonoras
Imperio premit, ac uinclis, & carcere frenat.

Cùm ira sit libido eius vlciscendi, qui iniuria læsisse videatur, irato conuenit, primò secum deliberare, qua uia acceptam iniuriam vlciscatur; deinde, quod ex deliberatione consilium cœperit, id sequi. Virgilius igitur, memor à se fictam Iunonem iratam,

&

& de perdendis Troianis deliberantem, nunc eam ad Aeolum ventorum regem accedere fingit: vnde consilium, & modus vlciscendi perspiciuntur: quæ ante factum requiruntur, ad rem verisimiliter (vt debet poeta) explicandam. Præterea, primo carmine ob oculos nobis ponitur irati forma, ex signis iræ adiunctis: nam statim cor commouetur, sanguine circa cor vehementer commoto: & iratus secum loquitur, ac deliberat, quomodo animum suum expleat: & hæc periphrasis iratæ Iunonis est, futuræ orationis prænuntia. Debent enim poetæ ante talẽ personam constituere, qualem illius orationem sunt effecturi. Quanta uero naturæ rerũ cognitione, dixerit, Flammato corde, docent philosophi, qui rerum naturas, & abstrusa quæq; sunt perscrutati: qui scriptum reliquerunt: Et si anima sit in qualibet corporis parte, dici tamen animam ibi agere, vbi ei corporis membrum, quasi instrumentum inseruit: vt saporis sedes in lingua: sentiendi, & mouendi actus, corpori ascribitur, vnde nerui ducuntur; quæ sunt mouendi, ac sentiendi instrumenta. Eadem ratione iracundiæ sedes, est cor hominis; vbi sanguis residet igneus. Hinc ira definitur, accensio sanguinis circa cor. Huius naturæ legis, & ordinis peritissimus, poeta dixit, Flammato corde. Iratam Iunonẽ significans. Hoc idem de Vlysse, libro decimo Odysseæ, protulit Hom.

ταῦτα μερμηρίζας κατὰ φρένας, καὶ κατὰ θυμόν.

Neq; illud hoc loco est silentio prætereundum, seruari à poeta præceptum Aristotelis de imitatione Heroici poetæ, quod est, ut, nunc poeta suam retineat personam, ut hoc in loco; nũc inducat alienã, ut in superioribus carminibus licet uidere; Et paulò inferioribus, ubi Iuno loquitur. Flammato. Translato uerbo usus est: quo magis res ipsa significetur; & ut crescat oratio: quia superiùs dictum est. His accensa super. Sic in quarto dixit.

His dictis incensum animum inflammauit amore.

Pontanus hoc in loco laudat magnopere Virgilii diligentiam singularem, in deligendis uerbis, & literis ipsi rei exprimendæ aptissimis. Cur (inquit) non dixit, succenso? Nimirum quia uocalis A' clarum è se edit sonum: At V uocalis sub obscurum: itaque si V post duplex A' subdidisset, claritatem, quam affectabat, eo in loco subobscurasset: eamq; ob rem submittendo alterum, atque alterum A', adauxit literæ claritudinem. Item loca fæta furentibus austris. Cur non plena? uidelicet, quòd alliteratio delectet magis aures.

Aeoliam uenit:
Hic uasto rex Aeolus antro.

Potuit & sic, cum præterito tempore.

Aeoliam uenit: uasto hic rex Aeolus antro.

Sed

Sed præterquàm quòd præſens tempus repentinam, vehementemq; Iunonis commotionem indicat magis, quàm præteritum; quando iam res ipſa geri videtur; & hiatus ille, & duplicatio dictionum vnius ſyllabæ eo in loco, tum verſum, tum numerum, plùs nimio firmaſſent, quod ipſum pronuntiando ſentitur. Hic videmus à loco afferri ſpem Iunoni animum ſuum explendi; & indicium dari futuræ maris tempeſtatis. Cùm enim videmus, iratum in armamentarium ingredi; veriſimile eſt, aliquem ab eo interfectum iri: & locus neceſſariò requiritur rei faciendæ idoneus: ſecùs res minimè veriſimilis videretur.

Hic uaſto rex Aeolus antro.

Primùm hic animaduertendũ eſt Iunonis aduentum totamq; hanc Aeoli antri, officii, & poteſtatis deſcriptionem, eſſe quaſi ab antecedentibus præparationem quandam futuri Troianorum naufragii: quod totum factum eſt ex arte poetica: cuius narratio debet habere (ut diximus) τὸ ἑφεξῆς, vt admirationem excitet. Nam res fictas, non temerè, ſed prudenter, ac miro quodam modo inuentas, atq; diſpoſitas; vt ex aliis aliæ ductæ, nexæq; inter ſeſe cohæreant; dignas admiratione cenſemus. Quis enim nõ admiretur, cùm legit Iunonem iratam, iuſtis de cauſis ſecum deliberantẽ: Troianos perdere, ad Aeolum venire, ventos excitare, & Troianos nauigantes in

Italiam,

Italiam, vi uentorum in Lybiam egisse. Quæ ita sunt inter se coniuncta omnia, vt vnum ab alio pendere perspiciatur. Hæc est illa virtus propria Virgilii, & Homeri; quos ait Aristoteles optimè docuisse, quomodo sit verisimiliter mentiendum. Homerus hoc idem fecit. Nam libro Odysseæ decimo Vlyssem ait venisse in Aeoliam Insulam; & cæteris ventis ab Aeolo utre conclusis, eiq; datis, Euro aspirante, Ithacam uersus nauigare cœpisse: verùm Vlysse à somno oppresso, socios eius credentes utrem auro plenum, eum dissoluisse, ac ventos subitò mari incubuisse, vnde vehementem passus est Vlysses maris tempestatē; ac ferè unà cum sociis submersus est. Carmina Homeri sunt hæc.

Αἰολίην δ᾽ ἐς νῆσον ἀφικόμεθ᾽ ἔνθα δ᾽ ἔναιεν
αἰόλος ἱπποτάδης φίλος ἀθανάτοισι θεοῖσι,
πλωτῇ ἐνὶ νήσῳ, πᾶσαν δὲ τέ μιν περὶ τεῖχος
χάλκεον ἄῤῥηκτον, λισσὴ δ᾽ ἀναδέδρομε πέτρη.

Hic uasto rex Aeolus antro.

Vt hinc etiam cognoscatur, quomodo ex historiis fabulas faciant poetæ; nec à naturæ ratione discedāt; exponemus, quis verus fuerit Aeolus, & quis fabulosus, & ἀλληγορικῶς. Strabo igitur ex Polybii sententia rē fert. Aeolum in ipsius freti locis, in quibus est maris reciprocatio, & nauigationis difficultas, perfluxus, atq; refluxus, aggrediendi signa præmonstrasse: itaq; ventorum custodem, atque regem creditum fuisse.

Diodo-

Diodorus Siculus ſcribit ſeneſcente Liparo, cum ſociis quibuſdam ad eum veniſſe, eiusq; filiam vxorem duxiſſe: & poſt Liparum ſocerum, Vulcaniis inſulis, quæ ab Aeoli nomine; Aeoliæ ſunt nuncupatæ imperaſſe: piumq;, ac iuſtum regem fuiſſe; & erga hoſpites per humanũ; & velis nautas uti docuiſſe: ex ignis etiam diligenti obſeruatione, qui uenti futuri eſſent, prædicere ſolitum eſſe, vnde & fabulæ uentorum potentem, ac regem finxere; & ob eius pietatem, ac iuſtitiam, Deorum amicum exiſtimatum, Iouis filium, ex Aceſta filia Hippotæ Troiani, à quo, ut ab auo, Hippotades eſt appellatus. Homeri uerò interpretes, allegoricè Aeolum annum interpretati ſunt; & eius duodecim filios, duodecim menſes; & totidem filias, hoc eſt duodecim horas; in quas apud ueteres dies erat diuiſus. Et ideo rex uentorum; quia pro ratione anni, nunc vehemẽter, nunc leniter ſpirãt uenti. Chriſtophorus Landinus, Aeoliam appetitum hominis, uentis, ideſt, perturbationibus expoſitum, interpretatur: quem Iuno, ideſt regnandi libido, præſertim irata, totum cõmouet; ac ad prælia, & cædes adducit, Aeolus eſt inferior ratio, ac humana prudẽtia: quæ tantiſper moderatur animi perturbationibus, dum ira, & ambitione non uincitur: uicta uerò præceps agitur. Et quia eſt quoque poetarum, naturæ cauſas perſcrutari, & fabulis inuoluere quomodo

id hic

id hic fecerit Virgilius, differamus. Iuno est aer: cuius ex motu uenti excitantur: at ex uentis excitatis, ac uehementer flantibus, mare miscetur: vnde maxima sequitur procella, ac tempestas perniciosissima: indè naufragia, & hominum, ac eorum omnium, quæ erãt in nauibus, summersiones. Vasto rex Aeolus antro. Vastum antrum possumus interpretari, pectus hominis: quo nihil est magis capax, & multas habet latebras. Hic habitat Aeolus: hoc est, uarietas cupiditatum: nihil enim magis uarium, quàm animus perturbatus. Vasto antro. Hoc dictum quòd loca subterranea, cauernosa, & uacua impleantur flatu, ac uẽto. Imperio, vinclis, & carcere. His verbis, duo significantur regi necessaria ad coercendos à malo improbos: Autoritas nimirùm, & ciuilis animaduersio: & priore loco ponitur imperiũ, idest, authoritas: quia primùm est mitiùs agendum: deinde ad suppliciũ, si autoritas non proficit, ueniendum.

Illi indignantes, magno cum murmure montis,
Circum claustra fremunt: celsa sedet Aeolus arce,
Sceptra tenens, mollitq́ animos, & temperat iras.
Ni faciat, maria, ac terras, cœlumq́ profundum,
Quippe ferant rapidi secum, uerrantq́ per auras.

Quia (ut initio harum explicationum diximus) poetica refertur ad eam philosophiæ partem, quæ ciuilis ratio à Cicerone dicitur. Hoc in loco summus

poeta

poeta docet, quàm necessarium sit principis munus & quod esse debeat:& à contrariis,quæ addocēdum valent plurimùm:mali enim,& improbi homines nō possunt æquo animo ferre imperium, & pœnam, ex legibus,malis hominibus constitutam; & præsertim irati. Itaque indignantur cōtra leges, & autoritatem principis. Contrà prudens princeps,qui nouit imperium illud esse diuturnius,quod pudore, ac liberalitate retinetur,quàm quod metu,conatur illos lenitate,ac humanitate, in officio continere: & oportere principem in clementiam propensiorem esse, quàm in seueritatem: & cùm contraria contrariis curētur, oportere iram lenitate curari:vt docet Isoctates Demonicum suum;dum bene imperandi tradit præcepta;vt iratis humaniter,& leniter occurrat.

Ni faciat maria,ac terras,cœlumq́ profundum,
Quippe ferant rapidi secum,uerrantq́ per auras.

A' consequentibus malis,si princeps negligat, officium suum ostendit: nam impunè uictrix nequitia, & improbitas omnia iura diuina,& humana peruertet. Illi indignantes. Est notanda ἐνέργεια, qua vētos facit audaces, ac furiosos, vt improbos homines: & dat illis sensum, dat appetitum, & indignationem; quæ sunt hominum iratorum propria. Pontanus censet huius carminis numerum, concursu earundem vocalium, & in primo pede esse solidiorem, ad rei

difficultatem,& magnitudinem significandam.

Celsa sedet Aeolus arce,

Sceptra tenens, mollitq́ animos, ac temperat iras.

Quia poeta studet in primis suauitati orationis, ideo Pontanus; quàm suauiter sonent hæc carmina sic declaret. In eo (inquit) quod est, Celsa sedet, & sceptra tenens, simul insunt, & alliteratio, & conflictatio, quæ aures submulceant: Quod verò dixit, Mollit, potius, quàm lenit, hoc videtur fuisse causæ, quòd uocalis E, cum sonum demittat, si lenit dixisset, eam trigeminasset: indeq; generosus ille sonus supra, quàm oportebat, demissus penè contabuisset: quem plenitudine sua uocalis O, & sustentauit,& illustrem reddidit. Allegoria vero horum carminum hæc est. Aeolus hominis prudentia,& inferior est ratio, quæ sedet alta arce,hoc est, in capite, quæ summa hominis præcipua pars est: nam Plato rationem in capite collocat, vt reginam: reliquas animi cùm virtutes,tum vitia inferiùs; vt illa omnibus dominetur,hæc illi pareant. Dum verò inferior hæc ratio superiorem ad res suscipiendas adhibet, omnia sunt tranquilla,& pacata; mitigantur animi, temperantur iræ:quod nisi fiat, maria,ae terras rapidi venti huc, & illuc agant: hoc est, hominem, qui paruus quidam mundus à philosophis est dictus,ita vexant, vt in exitium rapiant. Cœlum enim terræ,maria,au-

ræ,

ræ, ſunt quatuor elementa, quibus mundus, & homo conſtat: nam cõtra Seruium ego in hoc loco ſentio, dicentem, à Virgilio tria tantum elementa eſſe complexa: quia ſummus Aether ventis non perturbetur, quod Lucanus ſignificauit his verbis. Pacem ſumma tenent. Exiſtimo enim ὑπερβολῇ vſum eſſe Virgilium, ad vim ſummam ventorum, & ſimul animi perturbationem declarandam: & eſſe argumentatum ἀπὸ τοῦ δυνατοῦ; nam & ſi fieri non poteſt, vt ſummum cœlum perturbent vẽti, quia nulla perturbatio cadit in ſummam Dei prouidentiam; poeticè tamen, & oratoriè ad rem exaggerandam, hoc argumenti genus poteſt adhiberi, & per auras interpretor ad ſe ventos, nam in aere gignuntur vẽti: omnia igitur elemẽta ſimul miſcerent, & ad ſeſe raperent: ut prorſus illi fierent omnium domini, quòd etiam à naturæ elementorum nõ abhorret: immò proprium eſt naturalium rerum omnium, vt id potiſsimum ſtudeant, ſuum genus augere: & quæcunque poſſunt in ſeſe conuertere: Hinc ignis, quæcunque corripit, in ignem (modo poſsit) conuertit; aqua, cùm præualet, terram occupat, ac in aquam mutat: & hæc eſt natura hominũ, ut uelint ſui ſimiles eſſe quam plurimos. Boni ſtudent omnes alios bonos efficere: mali contrà malos reddere conantur: Qui eſt iratus, uellet omnes eſſe iratos: ad quod puto ego Virgilium optimũ poetam

naturæ imitatorē hoc in loco respexisse. Sedet. Hoc verbum, & regis, & maiorum magistratuum morem ostendit, qui consulentes, & iudicantes in sede altiore sederent: qui & curules magistratus, à sella curuli dicerentur. Item summæ prudentiæ quietē declarat hoc verbū sedere: vnde & Cicero dixit, animū hominis sedendo uegetiorē fieri; & est tritū sermone prouerbium. Adoraturi sedeant: hoc est ab omni animi perturbatione vacui, in vno Deo acquiescant. Celsa arce. Mirum & hinc perspicitur poetæ ingenium; qui & locum principis propriū verè significauit (in arcibus enim principes habitare solent) & aptissimū ad rationem ventorum obseruandam: nam alta loca sunt ventis semper exposita, vt dixit Ouidius. Perflāt altissima uenti: Maria, ac terras. Pontanus obseruat concursu earūdem vocalium, in tertio pede sonum pleniorem fieri; & rei magnitudinem quasi oculis subiici: vt maria, ac terras. At sordescet planè numerus, si dixeris.

Ni faciat, pelagus, terras, cœlumq́; profundum.
Celsa sedet Aeolus arce,
Sceptra tenens, mollitq́; animos, & temperat iras.

Cùm sententiæ refellant, vel probent; quod habent poetæ propositum; sed id cùm iucunditate, & grauitate, (si res ita postulet) faciāt; videamus, quàm fuerit hac etiam in parte diligens Virgilius: cui hoc

in loco est propositum regẽ nobis, & eius officium contra improbos monstrare. Itaq; sumit ab habitu, loco, more, & insigni regum proprio, quod est scæptrum, huiusmodi sententiam, Celsa sedet Aeolus arce scæptra tenens. Quæ verba, probant Aeolum regem esse, Illud verò, Mollitq; animos, ac temperat iras, officium indicant, vt, si tu velis Summum Ponti ficem significare, dicas, Pium, triplici corona caput redimitum, Romæ summa in arce sedere, & clemen ter, ac piè populum suum regere.

Sed pater omnipotens speluncis abdidit atris
Hoc metuens, molemq; & montes insuper altos
Imposuit, regemq; dedit, qui fœdere certo,
Et premere, & laxas sciret dare iussus habenas,
Ad quem tum Iuno supplex his uocibus usa est.

Metuit rex non sibi, sed suo regno; & ideò dixit. Hoc, ne scilicet, rapidi omnia secũ per auras rapiant; secus enim metus esset summo Ioui minimè decorus: &, vt metus habeat sua effecta, addidit statim. Speluncis abdidit atris, Molemq; & montes insuper Imposuit, regemq; dedit. Quia timor facit homines συμβουλευτικοὺς, vt docet Aristoteles libro secundo Rhe toricorum, & excogitantes remedia illi malo, quod timetur. Et primum remediũ est, improbos in eum locum amandare, vnde nihil ab illis mali committi posśit: hinc exilium & relegatio legibus inuenta; vt malis aliis nocendi nulla sit potestas. Qui

Qui fœdere certo,

Et premere, & laxas sciret dare iussus habenas.

Hic Virgilius docet in bene instituta Rep. esse superiores, & inferiores magistratus, atque ex præcepto Aristotelis, & Platonis summum magistratum oportere omnia circumspicere diligēter, vt qui sunt in eius imperio, sint à periculis vacui; inferioribus verò magistratibus nihil, nisi ex iussu superiorum esse faciendum, atque hæc fabulosè à Virgilio dicũtur, quia poema conscribit, cuius (vt ait Aristoteles in libro de poetica) anima est fabula. Et hac ratione tuetur decorum poetæ, & finem, qui est, inseruire rationi administrandæ Reipub. suaui sermone, & fabulis grauia philosophorum præcepta inuoluendo. His autem verbis.

Regemq; dedit, qui fœdere certo

Et premere, & laxas sciret dare iussus habenas.

Indicat id, quod est apud Aristotelem in libro de poetica præceptum; hoc esse in primis poetis præstandum, vt purgent affectus, & animi perturbationes. Purgare verò affectus, sic interpretantur omnes interpretes, id est, adducere πρὸς τὸ εὖ id est ad rectũ, & bonum; vt Homerus cùm iratum Achillem facit multa peccantem, nos docet, iræ esse moderandum, cum amore nimio victam Didonem effingit Virgilius; modum esse in amore adhibendum admonet:

non

non enim euellunt affectus ex animis nostris poetæ, (nam id esset hominem efficere trunco,& saxo simi-lem)sed præmonstrant quomodo affectus sint ad re ctam rationem accommodandi; vt nihil, vel minimum peccent:& qui accuratè perpendit.

Fœdere certo,

Et premere, & laxas sciret dare iussus habenas.

Proculdubio is videt, id quod præcepit Aristote-les, à Virgilio hic significari. Hoc spectauit Horatius in epistola libri secundi prima ad Augustum ita scribens.

Ille per extentum funem mihi posse uidetur
Ire poeta, meum qui pectus inaniter angit
Irritat, mulcet, falsis terroribus implet,
Vt magus, & modo me Thebis, modo ponit Athenis.

Speluncis atris respondet ad illud superius dictū. Vasto rex Aeolus antro: vt sibi constet oratio: sicut enim corpus illud malè affectū dicitur, in quo mem bra non fuerint, vel suo loco posita, vel sibi proportione minus respondeant; ita in oratione, nisi prima vltimis, & media vtrique non conueniant, erit vitium in oratione huiusmodi, quod autore Aristotele, excusari non poterit: cùm verò debeat esse poetarum oratio, conformationibus verborum ac sententiarum exornata, dixit Virgilius Atris, pro Nigris; & fœdus pro lege, & habenas premere, & laxare,

pro

pro continere, emittere ventos, quandocunq; opus fuerit. Laxare habenas: ab equis sumpta est translatio: sed puto ego hic Poetam respexisse ad id, quod in Phœdro reliquit scriptum Plato de duobus equis, ac auriga; quæ ratio est imperans duobus equis, id est duplici hominis appetitui, quorum equorum alter est candidus, rectus, ardua ceruice, nitido colore, nigris oculis, honoris cupidus, nullis stimulis indigens, sed cohortatione sola, stimulisq; regitur: Alter intortus, multiplex, temerè huc, & illuc delatus, dura ceruice, nigro colore, morosus, contumax, vix flagello, stimulisq; obtemperans. quo figmento duas in homine sibi contrarias cupiditates inesse significauit, alteram in virtutes, alteram in vitia pronam: rationem verò esse aurigam, vtriq; cupiditati præfectum; qui, dum iussa patris omnipotentis, hoc est, diuini numinis sequitur, omnia rectè gubernat, cùm aliqua perturbatione corrumpitur, pessundat omnia. quod paulò inferiùs patebit. Atris. Quintilianus libro octauo capite sexto institutionum oratoriarum huiusmodi verborum commutationem trāsumptionem appellat, quæ Metalepsis à Græcis nominatur, quæ vt est inuentu difficilior, eò quoq; rarior, & argutior: Fit enim per cognominationem, cùm res diuersæ quasi gradatim alia ex alia cognoscuntur ita, vt verbum ipsum (quod tamen non exprimitur)

primitur)ex homonymia viam munit, tanquam medius quidam gradus inter id, quod intelligitur, atq; id quod dicitur. vt hoc in loco. Speluncis abdidit atris. Per atras nigras significauit Virgilius: cum sit nigrum in coloribus, & idem obscurum in aere, quæ vero profundissima, ea sunt obscurissima: Atris ergo transtulit, pro profundissimis. Sciret ideo dixit, & fœdere certo. Quia(vt ait Aristoteles in primo libro Politicorum) oportet eum eligi regem, qui prudentia, & sapientia cæteros præstet, ac legibus pareat. Ad quem tum Iuno. Habitus est futuræ orationis. vt superius cum plena irarum futura esset oratio, dixit. Talia flammato secum Dea corde volutans. Perfectum Epici carminis genus grammaticus quidam appellat, quod cōstet omnibus fere orationis partibus. Nam hoc carmen constat præpositione Ad, nomine, quod relatiuum apuellant grammatici, Quem, aduerbio temporis Tum, participio vsa, verbo Est: quod puto à Poeta factum, vt perfectam futuram Iunonis orationem perspiciamus: & vsus est dictionibus vnius syllabæ tribus in carminis principio cōtinuatis, & in fine una, & in medio item vna, & quatuor coniunctis spondæis, quæ uerba, & qui pedes grauitatem, & tarditatem afferunt orationi. at huiusmodi debet esse supplicis oratio: vti nos ex Rhetorum præceptionibus in insequenti oratione

ne patefacimus: & R littera nulla est in hoc versu, quia reddit asperam orationem, quæ à supplicis persona debet abesse: Homerum, & hoc in loco est secutus, qui effecturus Thetidem Ioui pro Achille supplicaturam inquit.

ἔτις λισσομένη προσέειπε Δία κρονίωνα ἄνακτα.

Aeole (namq; tibi diuum pater, atq; hominum rex
Et mulcere dedit fluctus, & tollere uento)
Gens inimica mihi Tyrrhenum nauigat æquor
Ilium in Italiam portans, uictosq; penates.
Incute uim uentis, submersasq; obrue puppes
Aut age diuersas, & disiice corpora ponto.

Cum in Poetarum, & Oratorum oratione dominentur affectus, vnde recipit spiritum, ac vires oratio, ad decorum, & artificium orationis poetarum, & oratorum scriptis perscrutandum, est in primis affectus spectandus personæ dicētis; siue is sit mitior, siue vehementior. Hic igitur in persona Iunonis spectamus duos affectus alterum mitiorem, qui est supplicis, alterum vehementiorem, qui est irati hominis. supplicis oratio, vt præcipit Demetrius Phalereus rhetor apud Græcos magni nominis, in libro de elocutione, debet esse longa, & tarda, quod Homerus nobis significatum voluit, quando preces Deas finxit rugosas, atq; claudas præ tarditate, & præ longitudine sermonis incedere: ira verò concitatam,

celerem postulat, ac membris breuibus contentam orationem, quæ duo inter se contraria miro quodam modo summus poeta in eadem oratione cum decoro coniunxit. Primò enim supplicis personæ rationem habens longa periodo, & interpositione, ac suspensione sententiæ, producit orationis perfectam clausulam, vsq; ad quintum versum, quod legenti facilè est videre; Deinde quasi iã incaluerit ira, animus ex commemoratione felicitatis inimicorũ suorum, membris vti cœpit orationis breuibus, vt,

Incute vim uentis, submersas obrue puppes.

Aut age diuersas, & disiice corpora ponto.

Quæ sunt sententiæ, & uerba irato conuenientia: nam iratus nihil aliud petit, vel precatur, nisi perniciem, & vltionem inimicorum suorum. sed & temporis habuit rationem: cum enim iam nauigare incœpissent Troiani, periculum erat, ne summergendi occasio præteriret: & ideò opus fuit orationis breuitate: vbi enim facto opus est, ibi verbis multis nõ est locus. Ex supplicis verò persona genus causæ intelligitur esse deliberatiuũ: nam supplex petit, qui petit suadet, vel dissuadet, & ideo petitiones, & obsecrationes ad genus deliberatiuum referũtur: cuius finis est vtilitas cũ honestate coniuncta. Probandũ est igitur Iunoni honestum, & vtile esse, quod petit ab Aeolo. Quod quo facilius inueniatur, ponamus quæstio

nem. Vtrum ab Aeolo uenti sint ad perdendos Troianos in mare emittendi, deinde eligamus propositionem affirmantem; sunt emittendi, & Troiani vexãdi. Et probemus rationibus à Iunone adductis; quarum vna est, quia facile id facere potest, quod probat argumento ab antecedẽtibus sumpto. Nam hanc habet à Ioue Deorum patre facultatẽ & cõtra gentem victam hoc ipsa petat, ex quo & innuit non debere id sibi negari Iuno, vel vnius viri & fratris sui causa: altera, quia est honestũ vlcisci inimicos: tertia, quia hoc Aeolo vtilissimum, iucundissimum ac sempiternum bonum sit futurum. Tota itaque Iunonis oratio, nititur hisce tribus argumentis: quòd possit Aeolus, quòd ei sit honestum, quòd vtile quæ ratio suadendi, & ab Aristotele & Cicerone in libris Rhetoricis, est accuratè pertractata. Sed consideremus nunc dispositionem quoq; argumentorum, esse ex præceptis Aristotelis & Ciceronis adhibitam: quorũ alter in dialogo de partitionibus oratoriis, inquit, in deliberationibus primum esse quærendum, num id possit fieri, de quo deliberetur: alter libro primo de arte dicendi μέχρι τούτου σκοπῶμεν, ἕως ἂν γνῶμεν, εἰ ἐστὶ δυνατὰ, ἢ ἀδύνατα πρᾶξαι: hoc est, videndum est accuratè, primò nũ illa, quæ suademus, vel dissuademus ab ipsis, quibus suademus, possint fieri. HOC quis nõ videt in principio huiusce orationis Iunonis in esse? cùm inquit:

Namq; tibi Diuum pater atq; hominum Rex,
Et mulcere dedit fluctus, & tollere uento.

Reddit etiam Aristoteles rationem, cur ita sit faciendum: Quoniam (inquit) deliberamus, de iis, ὧν ἡ ἀρχὴ τῆς γενέσεως ἐφ' ἡμῖν ἐστιν, id est, quorum initium procreationis in manu nostra, nostroq; arbitrio positum est. Et huiusmodi esse id quod Iuno ab Aeolo petit, probat primis orationis verbis; & prima hæc primo loco posita probatio, ita in duas partes est diuisa; vt vim à maiori argumentandi habeat: & non modo, hoc posse ab Aeolo fieri, sed facillime posse fieri probet. Nam mare tranquillũ ex turgido, multo difficilius est, quam ex tranquillo turgidum reddere. Si igitur potes o Aeole (inquit) Iuno mulcere fluctus. quod est difficilius, & ego peto, vt eos tollas vento, quod est facilius; facillimum est tibi quod peto, mihi dare.

Et hoc etiam est philosophorum præceptis consentaneum, dicentium esse eiusdem facultatis contraria tractare: vt Medicina de salubribus, & insalubribus agit: Ethice de vitiis, & virtutibus. Iam igitur probatum est, posse fieri ab Aeolo, quod velit Iuno; sequitur deinceps, vt addatur rei honestas: nam non omnia, quæ possunt fieri, sunt facienda, nisi sint honesta, vel vtilia. Recte itaque, & ordine secundo loco argumento ab honesto est usus. Sed quia pars ho-

nesta-

nestatis est Aeolo cum Iunone communis: immò bona magnaq; honestatis pars spectat ad Iunonem tantum; & magis proprio bono, quàm communi mouentur homines; postremo loco ab vtili argumentum collocauit, vt omnium potentißimum. Et quia finem nobis in rebus suscipiendis propositum vltimo loco assequimur, & deliberationum finis est vtilitas (vt ait Aristoteles libro primo Rhetoricorum) vltimum vtilitati suæ petitionis locum seruauit Iuno: ac de decoro personæ, inuentione, & dispositione huius orationis, hactenus.

Namq; tibi Diuum pater, atq; hominum Rex,
Et mulcere dedit fluctus, & tollere vento.

Hæc Iunonis ratio repugnare videtur inferiori Aeoli sententiæ, dicentis:

Tu mihi quodcunque hoc regni, tu sceptra, Iouemq;
Concilias, tu das epulis accumbere diuum,
Nimborumq; facis, tempestatumq; potentem.

Nam, si habet hoc regnum à Ioue, non habet à Iunone: quod, & si hac ratione defendi potest, quòd communi omnium opinione Iuppiter sit omnium autor rerum; vt prima causa, aliis causis dat vim agendi, sic aliis Iuppiter, diis det potestatem, quã & ipsi possint aliis dare: Ego tamen crediderim, hoc in loco paralogismo vsam esse Iunonem, adductus authoritate Aristotelis dicentis in de poetica libro

poetas sæpe multa confingere ex paralogismo, hoc est, falsa ratiocinatione, & falsa pro veris sumere, vt probarur aliquem Deum esse, argumentabuntur sic. Vescitur nectare, & ambrosia: quibus solidij vescuntur: at hoc re vera falsum: sed quia iam in opinionē hominum est receptum pro vero habetur: sic & Iuno, quo facilius, quod volebat, impetraret, falsa pro ueris attulit argumenta: sed quæ tamen verisimilia viderentur. Qui probandi modus, aptus est fœminæ, qua nihil est fallacius; & maxime Iunoni, quæ causæ suæ, vt minus honestæ diffidebat; quod paulò inferius declarabit poeta; sic dicens.

Nec latuere doli fratrem Iunonis, & iræ.

Allegoria huius orationis est, eos, qui causam habent non bonam, conari falsis rationibus bonam esse probare, & largitionibus iudices, ac principes corrumpere. Homeri exemplo hoc fecit Virgilius. nam Homerus sæpè Iouem hoc modo describit. πατὴρ ἀνδρῶν τε, θεῶν τε. Quæ dicendi forma, dicitur à Quintiliano libro octauo, capite sexto, ἀντονομασία, quæ aliquid pro nomine ponit, & ex his, quæ sunt in quoque præcipua: vt Euersorem Carthaginis, pro Scipione, & eloquentiæ principem, pro Tullio; qua vero de causa sic poetæ appellent Iouem, docet Aristoteles libro Politicorū primo ἡ δὲ τῶν τέκνων ἀρχὴ βασιλική: τὸ γὰρ γεννῆσαν, καὶ κατὰ φιλίαν ἄρχον, καὶ κατὰ πρεσβείαν

ἐστὶν

ἐστί. ὅπερ ἐστὶ βασιλικῆς εἶδος ἀρχῆς. διὸ καλῶς ὅμηρος τὸν Δία προσαγόρευσεν εἰπὼν πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε, τὸν βασιλέα τούτων ἁπάντων, φύσει γὰρ τὸν βασιλέα διαφέρειν μὲν δεῖ, τῷ γένει δὲ εἶναι τὸν αὐτόν, ὅπερ πέπονθε τὸ πρεσβύτερον πρὸς τὸ νεώτερον, καὶ ὁ γεννήσας πρὸς τὸ τέκνον.

Et mulcere dedit fluctus, & tollere uento.

Hoc vno carmine retulit eandem Homeri sententiam duobus versibus prolatam.

κεῖνον γὰρ ταμίην ἀνέμων ποίησε κρονίων
ἠμὲν παυέμεναι ἠδ' ὀρνύμεν ὅν κ' ἐθέλῃσι.

Sunt mihi bis septem præstanti corpore Nymphæ.

Hæc sententia est ab Homero sumpta: apud quẽ libro decimo quarto Iliados, sic somnum Deum alloquitur.

Ἀλλ' ἴθ' ἐγὼ δέ κέ τοι χαρίτων μίαν ὁπλοτεράων
δώσω ὀπυιέμεναι, καὶ σὴν κεκλῆσθαι ἄκοιτιν
πασιθέην, ἧς αἰὲν ἱμείρεαι ἤματα πάντα.

Dedit mulcere. Notanda à Græcis sumpta dicendi formula, vt illud Terentianum: Date illi bibere: & in sacris literis. Non veni soluere legem, sed adimplere. Tyrrhenum nauigat æquor. Ab Homero & sententiam, & loquendi formula sumpta. Nam sic ille libro Iliados primo inquit.

οἱ μὲν ἔπειτα ἀναβάντες ἐπέπλεον ὑγρὰ κέλευθα.

Præstanti corpore Nymphæ. Hæc duo verba apposita Nymphis, valent plurimum ad exornandam orationem, & augendam: vt illud, Priami regnorum euersor Achilles. Est enim hæc ampla, & illustris di-

cendi

cendi forma, quæ huiuſmodi appoſita requirit. Sunt mihi. Hic effingitur mos promittentis, vt pro miſsione, voti ſui ipſe compos fiat. verbis enim ornat promiſſum ſuum quoad poteſt, vt hic Iuno. Et ſeruat eam laudandi formulam, quæ nobis ab Ariſtotele tradita eſt, libro primo Rhetoricorum: Nam vnum quod quæ laudandum eſt à propriis, & aptis illi virtutibus, vt equus à velocitate currendi, & acritate in bello: ſacerdos à pietate & caſtitate. Porrò mulierum, corporis virtutes ſunt autore Ariſtotele libro primo Rhetoricorum κάλλος καὶ μέγεθος, id eſt pulchritudo, & magnitudo: quas virtutes duobus verbis cõplexus eſt Virgilius cum præſtanti corpore dixit: nam præſtans corpus magnũ, & pulchrũ eſt, cùm nõ ſit pulchritudo ſine magnitudine: & Deiopeiam forma præſtantiſsimam aſſeruit. Præterea præcipit Ariſtoteles in aliquo laudando eſſe illum cum claris viris comparandum; Et amplificationem eſſe propriam demonſtratiui generis, & certa, atq; perſpecta laudari. verba Ariſtotelis apponam; vt ſtudioſi diſcant, quonam modo poetæ Rhetorum præcepta ad ſua poemata rectè conſcribenda ſoleãt adhibere. Δεῖ δὲ πρὸς ἐνδόξους συγκρίνειν, αὐξητικὸν γὰρ καὶ καλόν, εἰ σπουδαίων βελτίων πίπτει δ' εὐλόγως ἡ αὔξησις εἰς τοὺς ἐπαίνους: ἐν ὑπεροχῇ γάρ ἐστιν, ἡ δ' ὑπεροχὴ τῶν καλῶν. Quæ Ariſtotelis præcepta, qui paulò diligentiùs perpendit, intelligit, à noſtro

 poeta

poeta hic esse seruata. Nam comparat Deiopeiam cum reliquis Nymphis, quas præstanti dixit esse corpore, & illis anteponit: Nam in verbo pulcherrima est ὑπεροχή, id est præstantia: & ex comparatione reliquarum Nympharum cum Deiopeia orationis amplificatio, laudis propria extat. Cum vero inquit:

Sunt mihi bis septem præstanti corpore Nymphæ:
Quarum quæ forma pulcherrima Deiopeiam.

Certa proponit, & amplificat. Tota vero hæc laus sumpta est ex materia maioris boni: vnde loci laudis præcipue ducuntur: multis autem modis aliquid maius esse bonum dicitur. Nam τὰ μείζονος ἀγαθοῦ ποιητικά, μείζω ἀγαθά, hoc est, maioris boni efficientia sunt maiora bona: connubium, efficiens est vitæ hominum, & propagationis generis humani: quod natura est mortale, beneficio coniugii, fit quodam modo immortale: maximum igitur bonum, quod Iuno promittit Aeolo. Et quod per se est expetendum maius habetur bonum, eo, quod propter aliud expetitur, coniugium propter se expetitur. nam homo (vt ait Aristoteles in Ethicis) ad coniugium natus est. Et in matrimonio summa est voluptas, quam omnes sequuntur. Et quod per se viget, nec alterius ope indiget, inter maiora bona ab Aristotele connumeratur, huiusmodi bonum est connubium. præstantissimum igitur bonum. Item diuturniora breuio-

uioribus, ſtabilia incertis; quorum nemo eſt parti-
ceps; quæ in ipſo uitæ fine manent; quæ mortuum
ſequuntur; quæ ſunt alicuius propria; quæ ſunt na-
turæ bona; quæ apud omnes laudantur; quæ quis
ſolus poßidet; quæ ſunt eximia. Item, habere mul-
tos filios, eosq; bonos, maximum eſt bonum; Quæ
omnia maiorum bonorum efficientia, ab Ariſtotele
libro. Rhetoricorum primo, vbi agit de maiore bo-
no, collecta ſuo ineſſe muneri, affirmat Iuno. Nam
vbi ait: Omnes annos exigat tecum diuturnum bo-
num demonſtrat. quod & vſq; ad vitæ finem perdu
ret: cùm ait. Pulchra prole parentem, Finem coniu
gii, & poſt mortem prolem illi, & prolem bonam fu-
turam; & hoc naturæ bonum ſignificat, quando na-
tura, omnibus animantibus, datus eſt coniunctionis
appetitus, procreandi cauſa. vbi ait. Propriam dica-
bo. Complexus eſt tres vno verbo modos, maioris
boni probandi. quod quis ſolus vnus, & ſemper ha-
bet; ſi quidem dialectici propriũ id appellant, quod
vni, ſoli, & ſemper ineſt alicui. In hoc autem verbo
Pulcherrima, duas rationes, boni amplitudinem, &
præſtantiam indicantes, collegit: cùm omnibus ſit
laudabilis pulchritudo; & corporis egregia forma,
eximium quoddam bonum eſſe putetur: Agè verò,
quando in dando maximè verſatur liberalitas, pro-
bemus etiam, ex Ariſtotelis præceptis hic, quæ de li-

beralitate ab Aristotele præcepta sunt, esse seruata. Nam primò ait Aristoteles, nos liberalitatem metiri oportere, ex facultatibus; deinde quid, cui, quando, quomodo demus, esse videndum. Hic Iuno est Dea nuptiarum, quæ connubiis præest. hinc, & pronuba Iuno dicitur: & Aeolus est vir, idest aptus vxori ducendæ: est rex; qui, vt est præstanti dignitate, ita & præstanti vxore dignus est: nam in primo libro Politicorum vult Aristoteles, vt reges natura cæteris hominibus præstent: Et apud Persas pulcherrimi hominum reges creabantur: ideò Aeolo pulcherrima opus erat muliere, ad liberos regnò dignos suscipiendos. Opportunè promittitur, eo scilicet tempore, quo Iuno Aeoli auxilio indiget: & tale coniugium regi nunquam est importunum. Datur iusta de causa, pro meritis Aeoli: nam quod meritò datur, rectè datur. At quis dixerit, datur in pernitiem Troianorum: non igitur rectè factum. Troianorum quidem, sed Iunonis inimicorum: quos vlcisci fuit apud veteres honestissimum: & liberalis debet dare alterius iuuandi causa: & finis liberalis hominis spectat aliorum, non suam vtilitatem: quod Iuno suæ orationis fine complexa est, sic dicens. Pulchra faciat te prole parentem. Sed, quando supplicis, & irati personam hominis, Iunonem cum decoro tutatam esse, superiùs est demonstratum; nunc, & accusatoris partes

ab eadem agi recte, demonstremus. Nam accusatoris est excitare odium, ac indignationē contra reum; verbisq; factum, quantum potest, extollere. Summus poeta, qui legisset apud Aristotelem: τὸν ἥττω τῷ κρείττονι ἀμφισβητεῖν νεμεσητὸν εἶναι, hoc est, cōtentionem inferioris aduersus, superiorem esse indignationis plenam; gentem victam dixit, sibi inimicam; quasi mortales, & miseræ fortunæ homines, cum immortalibus contenderent, ac inimicitias gererent: & cum videret, si Aeneam nominaret, qui esset filius Veneris, cuiusq; pietas esset omnibus notissima, iniquam videri posse petitionem suam; rem pro persona accusatorie posuit; idest inimicitiā Troianorum secum, & Ilium in Italiam portans, pro Aenea, & Troianis, & commutatione usa est: cum enim ipsa esset inimica Troianis, dixit illa, Troianos sibi esse inimicos. Nam sic demonstrauit, iniuriarum & inimicitiarum autores Troianos: nam ira nascitur ex opinione factæ sibi iniuriæ; ex iniuria, inimicitia; ex inimicitia bellum: quod Horatius epistola decimanonā, primi libri, ad Mecœnatem declarauit, cum inquit,

Ludus enim genuit trepidum certamen, & iram:
Ira truces inimicitias, & funebre bellum.

At autores iniuriarum iure optimo sunt odio habendi: tales igitur his verbis voluit probare Troianos esse Iuno, vt illos Aeolo redderet odiosos.

Tyrrhenum. Aequor. Argumento à loco, accelerandum esse ostendit; quia iam nauigant, & secundis utuntur ventis; quod innuit Iuno verbo illo, Aequor, quod mare tranquillum significat, & simul communem cum Aeolo sibi periculum docuit: quia & ipse propè regnū suum haberet: & hac ratione sibi etiam conciliaret. Nam quibus (vt ait Aristoteles libro secundo Rhetoricorum) eadem sunt, vel bona, vel mala, inter sese amant: & extat tritum sermone prouerbium; Commune periculum congregat dissidentes: contrà, eos odio habemus, qui ex incommodis nostris, sua sibi comparant commoda: Gentem ideo appellauit, vt peregrinos, & externos. Nam gentes Romani externos, & qui extra vrbem, ac Italiam habitarent, appellauere vt doctè annotauit Franciscus Luisinus, in illis versibus secundæ odes, primi libri, Horatii:

Iam satis terris, niuis, atque diræ
Grandinis, misit pater; & rubente
Dextera, sacras iaculatus arces,
Terruit urbem, terruit gentes.

Et odiosum est, peregrinos velle alienas terras occupare, ac ibi regnare.

Ilium in Italiam portans, victosq; penates.

Hyperbole, hac de causa vtitur Iuno, & Italiæ opponit Ilium, vt rei turpitudinem, & indignitatem osten-

ostendat; & (vt accusatori conuenit) atrocitatem facti augeat. Quid enim turpius, quid indignius excogitari potest, quam victos Ilienses in Italiam contendere? ut expulsis veris dominis, ipsi soli regnent?

Connubio iungam stabili, propriamq; dicabo.

Existimo ego argumentum hoc esse a specie, siue forma vxoris ductum, ad promissum Iunonis amplificandum, ex materia præstantioris boni. Vt enim quod superat genere, superat specie; sic quod superat specie, superat indiuiduo, vt vir, & mulier, duo genera sunt: quia vir genere est muliere præstantior, eadem ratione maximus vir maxima erit muliere dignior; & Homerus poeta summus, erit Saphone inter mulieres poetrices peritissima, melior. Sed quo facilius uis & modus huius argumenti intelligatur, hic apponam verba Boetii, quæ scripta reliquit, in commentariis in Topica Ciceronis. Tribus modis vxor habebatur vsu, farre, & coemptione: sed confarreatio solis pontificibus conueniebat; quæ autem in manum per coemptionem conuenerant, hæ matres familias vocabantur; quæ vsu, & farre minime: coemptio vero certis solemnitatibus peragebatur, & sese inuicem interrogabant: vir ita: An sibi mulier materfamilias esse vellet: illa respondebat velle. Item mulier interrogabat virum, an sibi paterfamilias esse vellet ille respondebat velle. Itaque mulier viri conue-

niebat

niebat in manũ: & vocabantur hæ nuptiæ per coemptionem; & erat mulier materfamilias viro loco filiæ. Quam solemnitatem in suis institutis Vlpianus exponit. Si vero absq; hac solemnitate nuptiæ essent contractæ, huiusmodi vxor vsu habebatur. Au. Gellius libro duodecimo ait, matresfamilias appellatam eam solam, quæ in mariti manu, mancipioq;, aut in eius, cuius maritus manu, mancipioq; esset: quoniam non in matrimonium tantùm, sed in familiam quoq; mariti, & in sui hæredis locum venisset: & hæc species vxoris erat omnium præstantissima: Deiopeia talis promittitur vxor Aeolo, quod hoc carmine significatur.

Connubio iungam stabili, propriamq; dicabo.

Ergo præstantissimum erit hoc connubium, & Deiopeia vxor præstantissima.

Verum uideamus quàm ingeniose, ac doctè, ex ea parte philosophiæ, quæ latentes rerum terrestrium, ac cœlestiũ causas perscrutatur, fabulosè, (vt poetã decet) Iunoni quatuordecim Nymphas, Maro dederit. Iuno aer est, vt Cicero ait libro secundo de natura Deorum: Aer, (vt stoici disputãt) interiectus inter cœlum, & mare, est Iunonis nomine consecratus, ex quo, & in quo hæc quatuordecim, quæ possint filiæ Iunonis, siue Nymphæ dici, Iris, Ros, Pluuia, Nix, Grando, Tonitru, Coruscatio, Pruina, Glacies, Humiditas,

miditas, Calor, Nubes, Nebulæ, Fulgur, quæ aeris cùm effecta, tum coniuncta Nympharũ nomine fabulosè sunt à poetis appellata. Item aeris septẽ sunt attributa, septem itidem in aere gignuntur. Est enim aeris, vt sit leuis, vt mobilis, vt calidus, vt humidus, vt serenus, vt taciturnus, vt spirabilis: & has, vti septem Nymphas finxerũt poetæ: & hæc aeri tribuuntur. Quæ verò gignuntur in aere, est Iris, cui attribuunt tres ministras, Pluuiam, Grandinem, Niuem: in his contingit, vt nubes soli opponatur; & corpus nubis, est alia sui parte densum, alia densius, alia densissimum; ex denso fit rubeus, ex densiore cæruleus, ex dẽsissimo niger color: Item Phyton, Cometa, Fulmen, Tonitru, Exhalatio, Terremotus fiunt in aere. Vnde colligimus naturalium rerum peritissimũ fuisse Virgilium: & illas in fabulas vertere optimè nosse. Sed quia ratio fabularum, nunc ad res naturales, nunc ad mores spectat, inuestigemus & hic, qua ratione, hæc fabula de Iunone, & Aeolo, nobis ostẽdit ambitione, & corporis voluptate ita corrumpi in homine rationem, vt quid deceat, minimè videat. Aeolus enim est ratio in homine, quæ, si se corrumpi sinat ambitione, vel alia qua uis vehementi perturbatione, tunc turbulentissimæ excitantur tempestates: id est, multa fiunt iniqua, & sibi, ac aliis perniciosa: Gens inimica. Quia (vt diximus) naturæ primor-

dia ſunt ambitioni contraria; Item & vitam, rerum cognitioni deditam, oderunt ambitioſi; & hoc eſt, quod Iuno ait Ilium in Italiam portans: dictum eſt enim, per Italiam intelligi vitam contemplationi ad dictam: Deiopeia verò fictum nomē à poeta aptum rei, quā vult poeta expreſſam, exprimēdæ, ideſt pulcherrimæ mulieris formæ indicandæ, & in ſui amorē rapienti: δηϊάω enim apud Græcos idē eſt, quod Latinis comburo, immitto, & ſpiro: ὄψ aſpectum, vocēq; ſignificat. Deiopeia igitur ſignificat eam mulierem, quæ aſpectu ipſo, & voce accendat, homines, & gratum amorem immittat: nec in hoc à naturali ratione amoris conciliandi diſcedit poeta: ſiquidem viſus, & alloquiũ ſunt duæ primæ cauſæ, quæ nos ad amandum impellunt: vel dicamus Deiopeiam dictam ἀπὸ τοῦ θεοῦ, καὶ ὀπός hoc eſt diuino aſpectu, & forma decoratam: vel à δηϊόω ideſt pugno, & contēdo, vt de cuius forma certēt inter ſe homines. Nam mos fuit veterũ Heroum, vt ſi qua eſſet egregia mulier forma, de illa certamen conſtitueretur, & victori deinde daretur. Si ad aeris rationem hoc nomen referimus, Deiopeia eſt ſerena pars aeris; quæ eſt pulcherrima; nec eſt quicquam, quod poſsit magis trahere hominis rationem, qui eſt Aeolus, quàm ſerena cœli facies, id eſt, proſper, & felix cunctis in rebus euentus, ſecundaq; fortuna cum virtute coniuncta: cuius cauſa

omnes

omnes labores, ac difficultates in hac vita perferimus:& ſic,diuino planè modo,finē deliberanti propoſitum,quæ eſt fœlicitas, vno eſt nomine complexus,& Ariſtotelis de ſuaſione præceptum ſecutus.

Aeolus hæc contra:tuus ò regina,quid optes,
Explorare labor:mihi iuſſa capeſſere fas eſt.
Tu mihi quodcunq; hoc regni,tu ſceptra,Iouemq́;
Concilias,tu das epulis accumbere diuum
Nimborumq́; facis,tempeſtatumq́; potentem.

In hac Aeoli oratione,primò eſt conſiderandum ἦθος, hoc eſt,quam bene nobis oſtendat mores Aeoli perſonæ conuenientes: nam(vt præcipit Ariſtoteles in libro de poetica) in moribus, ſpectatur in primis ἁρμόττον, καὶ χρηστόν; hoc eſt, conuenientia, & probitas; & oportet moratum eſſe omne poema. Verùm, vt clariùs pateat, moratam eſſe, & ex præcepto Ariſtotelis confictam hanc Aeoli orationem; declaremus ex Ariſtotelis ſententia,quādo oratio,ſiue poema dicatur habere mores: Tum oratio dicetur mores habere, quando vel actio, vel ſermo indicauerit animi habitum,& electionem,qualis ſit. Vbi animaduertendum eſt duo ab Ariſtotele eſſe prolata, actionem,& ſermonem, quia his duobus ſignificatur, ac detegitur animi habitus, alioqui occultus, & abditus; neque enim cadit ſub ſenſum;ſed tunc primùm cognoſcimus aliquem, qualibus moribus ſit prædi-

tus, cùm illum agentem videmus aliquid, vel dicentem. index enim animi est oratio, sed plerunq; præcedit oratio, sequitur actio. Ex quibus nos colligimus bonos esse, vel malos homines. Poeta igitur probaturus Aeolum beneficiorum memorem, & gratum, & inferiorem magistratum superioris magistratus dicto audientem; eam illi attribuit primùm orationem; deinde id factum, ex quibus talem esse perspicimus: est enim grati hominis meminisse meritorum, & libenter commemorare, à quo ea acceperit, & quàm potest, referre gratiam: & inferioris magistratus superiori obedire: quæ tria, & verbis, & factis Aeolus præstat. Nam acceptum fert Iunoni quicquid habet regni; & illius petitioni nulla mora satisfacit: vbi & finem suum assequitur poeta; qui est, vt inseruiat Politicæ: Nam ea Respub. est benè instituta, in qua grati sunt in benemeritos ii, qui beneficia acceperũt, & minores maioribus magistratibus obediunt. Habet & hæc oratio τὸ εἰκός: nam ex superiore Iunonis oratione vnà cum facto Aeoli proficiscitur: quandoquidem est maximè verisimile, ex huiusmodi Iunonis oratione Aeolum esse persuasum, atq; ita dixisse, & fecisse, vt ab illo dictum & factum fingit Virgilius: vnde & suauis, ac iucunda oratio fluit: quæ, vt mos, vt natura, vt ratio, vt sensus hominum postulant, res sibi ad explicãdum propositas narrat: quod poetis vbiq; seruandũ præcipit Aristoteles: &

Socrates(vt eſt apud Platonẽ in Gorgia) inquit,homines magnopere gaudere, cùm audiũt orationem moribus,& naturæ,tũ dicentis,tũ audientis cõſentaneã.Eſt præterea cõſideranda diligẽter orationis breuis forma aptiſsima Aeolo, & Iunoni,& tempori: ſiquidem vrgebat occaſio, ut mandata exequeretur: ſecùs euaſuri erant Troiani periculum: deinde nihil moleſtius eſt valdè aliquid cupiẽti, quàm longo ſermone illius deſiderium retardari: nihil verò magis cupiebat Iuno, quàm perditos quãprimũ ab Aeolo Troianos: poſtremò indecorum eſt ei, cui ſint mandata principis ſtatim exhaurienda, tempus agendi dicendo cõterere:& ideo breuiſsimè exponit,quod ſit ſuum,& quod Iunonis officium:quod ad beneuolentiam comparandam accõmodatum eſt. Nam nobis obſequentes,de nobis egregiè ſentientes, in nos ſtudioſè affectos amamus: talem ſeſe declarat Iunoni Aeolus: ergo illius ſibi colligit amorem. Tu mihi quodcunque hoc regni. Sunt hæc argumenta propoſitionis,quæ fuit. Debeo ego tibi obedire: ratio, quia quicquid habeo boni, à te habeo: & ratio hæc, & inſequentes ſunt à cauſis ex materia æqui, & boni, & ex iure naturæ. Nam natura nos impellit ad gratiam referendam; & quam habemus facultatem,ea ad illius, qui nobis eam dedit, commodum uti debemus: habet Aeolus imperium in uen-

tos

tos à Iunone sibi datum: debet igitur eo ad nutum Iunonis vti. Et hæc omnia ab Aeolo dicuntur, vt causam suam bonam esse probet, & si in Troianos sæuam excitet tempestatem; quando imperanti Iunoni nihil negare posit. Contrà. Ego hanc dictionem puto esse aduerbium, & significare idem, quod vicissim; & respondere illi poetæ carmini, quo habitus orationis, Iunonis supplicis est expressus.

Ad quem tum Iuno supplex his uocibus usa est.

Vt hoc significatum velit Virgilius. Quemadmodum Iuno supplex superiorem habuit orationem, sic & illi respondit Aeolus: & his tribus verbis qualis esset futura Aeoli oratio, est significatum; breuis nimirùm, & grauis. Nam reticentia verbi, Dixit, vel, Respondit, breuitati, & grauitati côuenit orationis. Et Tuus proprius, tui vnius, non alterius. O' Regina. Vide hic decorum personæ, ad conciliandam beneuolentiam seruatum: & confer personam Aeoli cum Iunonis persona, & principium orationis huius cum Iunonis orationis principio. Illa Aeolum nomine proprio appellat: quia hoc valdè gratum, ac gratiosum est, cùm quis fortunæ inferioris, à principe, vel nobiliore aliquo viro, nomine proprio appellatur: at contrà indecorum, ac plenum indignationis, & signum contemptus, si quis priuatus, & inferioris fortunæ principem, non dignitatis, sed proprio appellet

pellet nomine. Et hac de cauſa,Iuno aptè dixit Aeole: & Aeolus,ò Regina; illam nomine dignitatis nuncupans.Sic & Paulò inferiùs,Venus Iouem alloquēs, dicet. O qui res hominumq; Deumq;. Et Iuppiter reſpondebit.Parce metu Cytherea. Quid optes,explorare labor. Nos hoc in loco admonet, oportere eſſe explorata,multùm,diuq; cogitata optata principum: & hoc eſſe peculiare illorũ munus, etiam atq; etiam cogitare quid velint,ac perpendere diligenter. Hoc infra ſeruantem Aeneam faciet, ſic canēs.

At pius Aeneas per noctem plurima uoluens,
Vt primùm lux alma data eſt,exire.locosq;
Explorare nouos,quas uento acceſſerit oras.

Cùm enim plerunque, quod optant;aſſequi poſſint principes; ſi illorum optata fuerint temeraria, ſeſe,ac ſuos omnes,in ſummum adducēt diſcrimen. Labor explorare.Modus loquēdi à Græcis ſumptus, qui cum careant Gerundiis,& ſupinis (ut grammaticorum verbis utamur) verbo infinito vtuntur. vt καιρὸς τὸ ποιεῖν. Quorum exemplo Virgilius dixit.

Quin abis hinc præceps, dum præcipitare poteſtas?

Et Terentius. Poſt, vbi tempus eſt promiſſa iam perfici. Concilias. Hoc phyſicè dictum eſt: quia Iuno eſt aer; ex cuius motu vēti fiunt, Iouem.Quia ille dat regna; & quia Iuppiter eſt ignis: & cùm ex motu aeris venti gignantur,aer ab igne temperetur,

cum

cum ſit illius caloris particeps, cùm aer eſt maximè temperatus, tum eſt cum Ioue coniunctus, ac concors. Sceptra. A' ſigno argumentum. Hinc ab Homero σκηπτοῦχος βασιλεύς. Tu mihi quodcunque hoc regni, Cõcilias. id innuit poeta, inferiorem rationem, ideſt hominis prudentiam, ambitione corruptam, quicquid habet, id totum ambitioni, acceptum ferre: & niſi eſſet perturbatus hominis appetitus, nullũ haberet Aeolus regnum, nullam ad animum excitandum poteſtatem. Epulis accumbere Diuum. Hoc eſt argumentum à cõſequentibus ſignis. Si. n. dii ſoli veſcuntur ambroſia, & nectare; & rex, eius populi dicitur, cui dominatur: Aeolus veſcitur Epulis Deorũ, imperat vẽtis: ergo Deus, & rex vẽtorũ. Sumptũ eſt hoc totum ex fabulis poetarum, & veterũ ſuperſtitione, referentium eos in Deorum numerum, qui optimè in terris cæteris præfuiſſent; & aliquid neceſſarium maximè, maximeq; admirabile reperiiſſent: vt Saturnus inter Deos eſt connumeratus, quòd iuſtè imperarit: Liber, quòd vinum repererit: Hercules, quòd malos, & improbos homines multos de medio ſuſtulerit: Et hac ratione Deus eſt Aeolus iudicatus, quia primus ex igni obſeruationem ventorum inuenerit: & quando futura eſſet vis magna ventorũ, prædixerit: vbi luce ipſa clariùs perſpicitur Ariſtotelis de poemate optimè conſcribendo conſilium non

eſſe

esse neglectum; quod est, poematis animam, debere esse fabulam.

Tu mihi quodcunq; hoc regni, tu sceptra, Iouemq;
Concilias.

Hoc genus sententiarũ, & verborũ, suaue, ac periucundum esse audientibus, & dicentibus conciliare amorem Antonius Minturnus, qui nuper sex libros de Poeta cõscriptos edidit, affirmat, vt siquis ad parẽdum prõptus videatur, id est audienti amabile, qualem sese Iunoni Aeolus hic præbet: & hoc totum est poetici artificii, vt illius sermo delectet, & prosit.

Hæc ubi dicta, cauum conuersa cuspide montem,
Impulit in latus; ac uenti, uelut agmine facto,
Quà data porta, ruunt, & terras turbine perflant
Incubuere mari, totumq; à sedibus imis
Vnà Eurusq;, notusq; munt, creberq; procellis
Africus: & uastos uoluunt ad littorum fluctus.

Pontanus in Actio sic declarat artificium poetæ mirum, in explicatione Iunonis ad Aeolum accessus, & vtriusq; inter se colloquii. Quò (inquit) maiora, atque admirabiliora, quæ à poetis dicuntur, appareant, ipsi humana ad Deos transferunt. Parum profectò erat Maroni tempestatem describere; quæ per se ipsa magna quidem erat, atque horribilis, sed Iunonis ad Aeolum, & Aeoli ad Iunonẽ allocutiones; admirabilẽ multò maximè eam faciunt, vẽtorum ipso-

rum Deo illam excitante, Itaque intonantur magis, quàm dicuntur illa.

Hæc ubi dicta, cauum conuersa cuspide montem
Impulit in latus, ac uenti, uelut agmine facto,
Qua data porta, ruunt, & terras turbidine perflant.

Hæc vbi dicta. Vsus est reticentia verbi, & hoc loco, ad decorum personæ, & grauitatem orationis cõparandam: nam reticentia omnis grauis est, & celeritate hic opus erat.

Cauum conuersa cuspide. Hactenus causæ irarũ, personarum consilia sunt explicata: nunc ita verisimiliter facta sequuntur, vt quadrent maximè tùm causis, tùm personis, tùm personarum consiliis: & quia non solùm rem debet exponere poeta, sed exponendo amplificare: Virgilius (vt docet Quintilianus libro octauo capite quarto) ex antecedentibus causis magnitudinem futuræ tempestatis magnopere duxit. Irata enim Iuno, maximeq; commota, illius ad Aeolum accessus, vtriusq; oratio, Aeoli alacritas, & studium Iunonis petitioni satisfaciendi, impulsio caui montis in latus, declarant atrocissimam tempestatem futuram: quæ omnia si ad physica referas, dices Iunonem aërem esse, ex cuius vehementi motu, venti vehementes excitantur; ex ventis tempestas horrenda: ex tempestate naufragia, & submersiones & hominum, & rerum cæterarum: hinc lachrymæ,

gemitus, querelæ, & exclamationes, quæ cuncta deinceps exponit Virgilius. Et, vt in aliis multis est Homerum secutus: apud quem Neptunus videns Vlyssem à Calypsone abeuntem, & hac de causa iratus, idem ferè facit, quod hic Aeolus. Homeri carmina adscribam.

ὡς εἰπὼν σύναγεν νεφέλας, ἐτάραξε δὲ πόντον
χερσὶ τρίαιναν ἑλὼν, πάσας δὲ ὀρόθυνεν ἀέλλας
παντοίων ἀνέμων.

Cauum montem physicè dixit: quia caua loca flatibus, ac ventis facilè implentur: quod sciens Homerus, in vtre ventos Vlyssi ab Aeolo datos dixit. Impulit in latus. Ego interpretor impulit latus montis, vt illud, In puppim ferit, idest puppim ferit: quibus verbis vim, ac conatum Aeoli, & difficultatem impellendi, oculis subiecit. Nam hæ syllabæ Im, & In durum quendam sonum referunt, & dictiones desinentes in t, & s, cum quadam difficultate proferuntur. Prætereà duo coniuncti dactyli, & vnus spondæus, significant celeritatem, primò quidem, impellere cupiētis, sed tarditatem deinde, ob rei susceptæ difficultatem: Sic in Georgicis ad laboris difficultatem significandam dixit.

Et duris urgens in rebus egestas.

Ac venti. Hac in descriptione tempestatis, vt intelligamus non discessisse Virgilium ab Aristotelis

præcepto, quod est, vt rebus describēdis, perfectam rei formam sibi ob oculos ponant; sciendum est, à summo poeta hic perfectam tempestatis formam versibus hisce explicari: quam videmus ab septem rei attributis, quas dialectici circunstantias appellāt, esse descriptam: & primùm à prima, quæ est persona Iunonis, & Aeoli, potentiam talem excitare turbulentissimam tempestatem; & Troianorum, qui possent: à loco: vbi inquit, incubuere mari: in mari enim fiunt turbulentissimæ tempestates: Tertiò à tempore, cùm læti nauigarent Troiani, nec quicquā tale suspicarentur, venti mari incubuere: à modo.

Quà data porta, ruunt, & terras turbine perflant.

Et uastos uoluunt ad littora fluctus:

Quintò causa, venti enim iiq; contrarii ruunt, in mare, & creber procellis Africus. Sextò, à facultate, cùm Aeolum de se sic dicentem facit poeta.

Nimborumq; facis, tempestatumq; potentem:

Vltimò ab instrumentis, conuersa cuspide, turbine, procellis, quibus omnibus concurrentibus, maxima oboriatur tempestas necesse est. Sed quando ex causis, & effectis, & ex iis quæ antecedunt, & consequuntur, quæq; sunt rei adiuncta, apertiùs res cognoscitur; diligentiùs hæc hic consideremus: & quia in omni rerum cogitatione, atq; animaduersione primùm causæ occurrunt; tum effecta his respondent;

& reliqua deinceps ſequuntur; in hac tẽpeſtate deſcribenda à cauſis eſt exorſus poeta; & à cauſis primò, quæ ſunt conſilii participes; deinde ab iis, quæ ſunt conſilii expertes: neq; id ſine ratione factũ eſt: nam in re ſuſcipienda conſilio primus eſt locus: ſunt verò cõſilii participes cauſæ Iuno, & Aeolus, qui cõſultò hanc tempeſtatem excitant: cauſæ non cõſultò agentes, ſunt venti, nubes, tenebræ, fulgura; quæ naturales cauſæ dicuntur; quæ à ſuperioribus cauſis mouentur: & ob id ſecundo loco ſunt collocatæ: in quibus recenſendis non diſcedit ab ordine naturæ. Nam ponit primò ventos omnes; deinde ſingulos. Ait enim.

Ac uenti uelut agmine facto
Quà data porta, ruunt. deinde *Vnà:*
Eurusq; Notusq; ruunt, crebèrq; procellis
Africus:

Vbi ad incredibilem quandam tempeſtatem, & admirabilem explicandam finxit poeta, cõtrarios ventos ſimul flare, quod figmentum ex Homeri libro quinto Odyſſeæ Virgilius eſt mutuatus.

Σὺν δ' εὖρος το, νότος τ' ἔπεσι, ζέφυρός τι δυσαὴς,
καὶ βορέης αἰθρηγενέτης μέγα κῦμα κυλίνδων.

Cauſas effecta neceſſariò ſequuntur: quæ hic annectit cauſis Virgilius, cùm inquit.

Quà data porta, ruunt, ac terras turbine perflant.

Incubuere

Incubuere mari, totumq; à sedibus imis
Vnà Eurusq; Notusq; ruunt, creberq; procellis
Africus, & uastos uoluunt ad littora fluctus
Eripiunt subitò nubes cœlumq;, diemq;
Teucrorum ex oculis: Ponto nox incubat atra
Intonuere poli, crebris micat ignibus æther.

Hæc enim sunt omnia effecta ventorum, quibus hæc consequentia subiiciuntur: Clamor virum, stridor rudentum, Mors præsens, Metus, gemitus, exclamatio Aeneæ, & conquestio: ab Aquilone procella, vnde facti sunt remi, velum concussum, Mons aquæ insecutus, & omnia deniq; mala, quæ hic à poeta cõnumerantur. Ex tribus igitur potissimùm locis causarum, effectorum, & consequentium huius atrocissimæ tempestatis descriptio sumpta est: nũc quibus sentẽtiis, & verbis sit descripta, referamus. Prima sententia ducta est à locis, quæ sunt ventis subiecta, terris nempè, ac mari: & exornata est similitudine, ab agmine militum ducta, & energia: fingit enim ventos, tanquàm feroces homines, atq; immanes, impetum in vrbem aliquam facientes, ac omnia euertentes. Vsus est verbis cum propriis, vt Perflant, tum translatis, vt Ruunt, Incubuere: quæ verba significant ventorum summum impetum, & totum mare ab iis occupatum. Altera sententia, à clamore hominum insequenti, & rudentem stridore est sumpta, ac distri-

distributione illustrata: nam clamor est hominum, stridor proprius rudentum, & verbis similiter cadentibus; vt Clamor, Stridor, virum, Rudentum: quibus habita est ratio rei horribilis exponendæ. Quandoquidem hæc verba. Clamor, Stridor, incipiunt à syllabis rigidioribus, desinunt in horridas; & illæ alteræ, virum, Rudentum in obscuras: at omnis obscuritas horrorem incutit: quod & in secundo libro seruauit, cum inquit.

Exoritur clamorq; uirum, clangorq; tubarum.

Ficta, siue imitatione nouata huiusmodi verba, grandiorem efficiunt orationem, & poeticæ orationi sunt aptißima. vt illa.

Discessu mugire boues, Et,

Quinq; greges illi balantum.

Apparent enim Rudentum, Mugire, Balantum, ex ipso planè sono facta esse verba. Et in hoc carmine nulla est dictio, quæ R. literam duriorē non habeat. Eripiunt subitò nubes: sententia horum duorum carminum est. Summa secuta est aeris obscuritas: hanc explicauit poeta ab antecedentibus tenebrarū: quia ante obducitur cœlum nubibus; posteà sequuntur tenebræ; vnde nox atra: quam sententiam Epiphonemate claudit: quod ex superioribus ventorum effectis oritur. Nam quòd nubes eripuerint, cœlumq; diemq; ex oculis Troianorum, est elementorum na-

turæ

turæ consentaneum; quæ inter se confusa, atq; perturbata pariunt tenebras. Hac vero conformatione sententiæ, rem ob oculos posuit, & certissimam demonstrauit. Eandem sententiam protulit Homerus libro quinto Odysseæ:

σὺν δὲ νεφέεσσι κάλυψε
γαῖαν, ὁμοῦ, καὶ πόντον, ὀρώρει δ' οὐρανόθεν νύξ.

Hanc orationis formam, græci γοργότητα dixerũt: quæ res horridas, terribiles, ac varias complectitur: quæ tamen multum amplitudinis, & euidentiæ retinet, vt legenti hæc carmina licet videre. Nã rei atrocitatem, cum quadam verborum amplitudine, ac varietate, oculis subiicit.

Præsentemq; uiris intentant omnia mortem.

Quanta sit uis in hoc verbo, Præsentem, & cur poeta præsentem mortem dixerit, declarat Aristoteles libro secundo Rhetoricorum: vbi reddit rationem, quare homines non timeant mortem, quæ interitum omnibus affert; nec ullo modo uitari potest: Quoniam (inquit) sciunt quidem omnes se morituros, sed cùm putent longè tempus mortis abesse, iccirco non timent: nam præsentia, & propinqua mala timentur. Si igitur poeta hic dixisset tantùm, intentant mortem, res non uisa esset atrox: neque multum timenda: quia putari posset aliquod dari longius spatium, verùm addẽs Virgilius, Præsentem,

summo-

ſummopere auxit tempeſtatis magnitudinẽ, & cauſam gemitus, ac metus Aeneæ iuſtam docuit, & in libro de poetica πάθος quid eſſet docens inquit, οἷον οἱ ἐν τῷ φανερῷ θάνατοι. Atq; hoc etiam facit ad magnitudinem tempeſtatis ſignificandã: ad miſericordiam in Troia nos excitandam; quòd hæc ferè omnia per indicandi modum enunciantur: vt ruunt venti, perflant, voluũt, inſequitur clamor, Eripiũt nubes, incubat nox. Micat æther, omnia intentant mortem: ſoluuntur membra, ingemit Aeneas, Procella velum ferit, fluctus ad ſydera tollit, Remi franguntur, prora dat latus, inſequitur mons aquæ, Hi pendent, furit æſtus, Notus torquet. Vorat vortex, vrget Eurus, Apparẽt rari nantes. Ecquis non videt, hæc verba, hoc modo prolata, facere nos rei nõ auditores tantùm, ſed ſpectatores quoque, & multo nos magis mouent, cum hæc quaſi præſentia intuemur, quàm ſi præterita audiremus? Hoc eſt, quòd admirabile facit poema, ac rem auget quàm maximè. Nam maiora videtur quæ inſtant, quàm quæ præterierunt: quem exaggerãdæ rei modum, oſtendit nobis Rodulphus Agricola.

Ex templo Aeneæ ſoluuntur frigore membra.
Ingemit, & duplices tendens ad ſydera palmas,
Talia uoce refert.

Sententia hæc, qua probatur metus Aeneæ, eſt à conſequentibus ſignis deprompta. Nam metum cõ-

ſequuntur membrorum frigus, gemitus, & manus ad ſydera ſublatæ: & eſt diatypoſis metu conſternati viri, qui habitus eſt inſequentis orationis proprius, qui & ſuperiora, & inferiora de tempeſtate dicta, veriſimilia facit. Eadem de Vlyſſe cecinit Homerus.

καὶ τότ᾽ Ὀδυσσῆος λύτο γούνατα, καὶ φίλον ἦτορ
ὀχθήσας δ᾽ ἄρα εἶπε πρὸς ὃν μεγαλήτορα θυμόν.

Tollere autem manus (quod græci dicunt (ἀνασχεῖν χεῖρας) oſtendit Polybius, fuiſſe eorum, qui longè alio in ſtatu forent: durioreq; fortuna conflictarentur, viderentq; præſens ſibi exitium imminere. De militibus enim C. Flaminii, qui victi in acie, in lacum ſe coniecerant, ac quouſq; altitudo ipſius patiebatur, progreſsi ſunt, ſic narrat. Illi, cùm equites hoſtium, eò ingreſſos viderent, exitiumq; appropinquare, manus ex aqua exerentes, ac tendentes, voceq; etiam precantes, ut uitæ ſuæ parcerent, aut trucidati ab ipſis ſunt, aut ſe mutuis vulneribus, diffidentes ſaluti, confecerunt. Quæ Polybii verba, multum lucis afferunt huius loci Virgiliani artificio cognoſcendo: quoniam Aeneas ex ſecunda nauigatione, ſubitò in turbulentiſsimam inciderat tempeſtatem.

Et ideo oportuit poetam, naturæ imitatorem, & morum hominum, illum fingere ſublatis in cœlum manibus ita exclamantem. Idem cecinit libro duodecimo

decimo cùm ſimile Turni tempus exponeret.

Ille humilis, ſupplexq́; oculos, dextraḿq; precantem
Protendens: Et paulò poſt,
Vicisti & uictum te tendere palmas
Auſonii uidere.

Ad Sydera. Hac etiam de cauſa exiſtimo à Virgilio fictum Aeneam tendentem manus ad ſydera, quia ex Platonis opinione putaret eis, qui patriam adiuuerunt, ac pro patria perierunt, decreta eſſe in cælo loca, quibus unà cum cæteris beatis perpetuò perfruantur.

Frigore dixit, effectum timoris indicans: nam cum quid timendum, & horribile occurrit, tum ſanguis, unde calor omnis eſt, & uita, ad cor, tanquàm ad arcem concurrit, & extrema relinquit: hinc ſummæ corporis partes frigeſcunt. Sic alibi dixit,

Frigidusq́; cucurrit.
Oſſa tremor.
O terq́; quaterque beati.
Queis ante ora patrum, Troiæ ſub mœnibus altis
Contigit oppetere.

Vt & hic probetur ex arte poetica attributã hanc Aeneæ orationem, duo ſunt animaduertenda, eſſe ab Ariſtotele præcepta ſeruanda in Tragicis, & Heroicis poematibus cóſcribendis, πάθος, καὶ περιπέτεια,

V 2 hoc

hoc est, mutationem fortunæ in contrarium, & perturbationem, quæ est actio interitum afferens, & luctu, ac gemitu digna, vt mors præsens: quæ duo in hac tempestate describenda seruauit Virgilius: cùm enim superiùs eduxerit Troianos è siculo littore soluentes lætos, secundo vento vtentes; at nunc eos iactari alto, ac summergi undis faciat, mutationem fortunæ contrariam ostendit: & eodem tempore πάθος efficitur: quia uentis in mari uexari, ac naufragium facere, est actio doloris, & lacrymarum plena; vt quæ affert interitum; quod non solum in rebus ipsis inesse, sed etiam sententiis, uerbisq; ipsis effingi debet: & quia hyperbole, & hypotyposis, exclamatio, ac comparatio, sunt aptæ perturbato animo, ac dolenti; & rebus turbulentis ac miserabilibus, horrendisq; ob oculos ponendis, ut superiùs poeta habitum metu consternati Aeneæ per hyperbolen protulit, dicens,

Duplices tendens ad sydera palmas.

Sic nunc facit illum exclamantem, & comparatione utentem eorum, qui ad Troiam sunt occisi; eosq; præ se beatißimos dicentem: quem in primis decet abruptum orationis principium cuiusmodi est hoc, quod Homerus dedit Vlyßi eadem patienti.

τρισμάκαρες Δαναοὶ, καὶ τετράκις οἳ τότ' ὄλοντο
Τροίῃ ἐν εὐρείῃ χάριν ἀτρεΐδῃσι φέροντες.

Sunt

Sunt,qui reprehendant hoc in loco Virgilium,vt qui contra præceptũ Aristotelis fecerit,quod est, vt quam à principio formaris personam, eandem ad extremum serues:at Aeneam insignem pietate virum, & ideo fortem,quia est propria viri fortitudo,initio poematis descripsit nobis Virgilius;nunc illum ingemiscentem,atq; timentem facit.Verum quod in uirum fortem cadere minime posse putant,qui hoc reprehendunt,consilium,& prudentiam Maronis non intuentur,nec legerunt Quintum caput libri tertii Ethicorũ Aristotelis,in quo agit de fortitudine,verba ipsius latinè apponam : vt apertiùs appareat summa summi poetæ, rerum quæ ad mores, & naturas omnium hominum spectant, scientia.sunt (inquit) quædam pertimescenda,idq; præclarum est:quæ eadem turpe sit nõ timere.Vt,dedecus qui timet,probus;qui nõ timet,impudens habetur:nec si quis vim liberis, & vxori timeat, vel inuidiam, aut si quid est eiusdem generis, ignauus, ac timidus putandus est: nec fortis is,qui fidenti sit animo, cùm virgis cæsum se iri videat; quia id turpe est. Nec in omni genere mortis vir fortis cernitur; vt, si quis in mari pereat, vel morbo intereat; quia id mortis genus nullam habet gloriam; nec occasionem fortitudinis declarandæ: ac in eo genere mortis perspicitur,quod est pulcherrimum;qualis est illa mors,quæ in bello, & pro

patria

patria euenit. Hoc indicant honores, qui, & in rebus publicis, & apud reges decreti sunt iis, qui in bello fortiter pugnātes, occupuerint. Quo circa propriè, ac verè fortis videtur is, qui morte honesta proposita, iisq; omnibus, quæ mortem afferunt, cum appropinquant, metu vacat. Attamen & in mari, & in morbis, vir fortis vacuus est ille quidem à metu, sed non more nautarum: fortes enim, & de salute sua desperant, & genus hoc mortis acerbè ferunt: illos fidenti esse animo docuit exercitatio: sunt autem forti magnoq; animo, cum aut viribus locus est, aut pulchrū exire de vita: quorum neutrum in his generibus interitus contingit. In his Aristotelis verbis, causa dilucidè apparet, qua uirum fortem deceat in bello oppetere, non autem in maritimis procellis, ac tēpestatibus. Mallet igitur hic Aeneas, vt fortissimus vir, inter hostes confertissimos, pro patriæ focis, atq; aris pugnans, occubuisse, quàm procella obrui. Quia, cū fortitudo maximè in morte spectetur, fortis quidē in bello cadere optat cum propter honestum pugnarit. Eorum verò casum, qui maris obruuntur tempestate, fortitudo prorsus abhorret. Tātū igitur abest, vt virgilius sit reprehendendus, vt sit maximè laudandus, qui, cum facit ingemiscentem Aeneam, tum maximè fortem facit: qui non mortem, timeat, sed genus mortis viro forti indignūm: nec vllam gloriā,

vel

vel laudem ex morte consequatur. Placuit hunc locum pluribus explicare, quia verè hic fortis perspicitur Aeneas, & Poetæ artificium, qui etiam in gemitu ipso, virum fortem, ex Aristotelis doctrina de moribus, declaret. Hic enim cernitur ἦθος uiri fortis, & optimi imperatoris, ignobile genus mortis abhorrentis, & honestissimè cadere cum hostibus pugnando cupientis. Nec interim discedit à fine suo laudandi Romanos, quibus semper fuit dulce, & decorum pro patria, & in armis mori; unde & in secundo idē Aeneas inquit, Pulchrumq; mori succurrit in armis. Et quia hæc oratio est demonstratiui generis: (nam nihil aliud Aeneas uult demonstratum, nisi se omniū miserrimum esse) ab amplificatione per comparationem facta, incepit: quod est præceptum Aristotelis libro primo Rhetoricorum. Nam certas res ponimus, quas deinde amplificamus: sed Aeneas, ut nimio dolore uictus, omisit propositionem, quæ est; Sum ego omnium infelicissimus: cuius est probatio; quia præ me sunt beatissimi; qui ad Troiam periere: si enim mortui præ me sunt fœlicissimi, quanta putanda est calamitas mea? Et est πάθος ex amplificatione qualitatis, & quantitatis: qualitas est in illis uerbis, Beati, qui sub mœnibus patriæ cecidere: quantitas in his, O terq;, quaterq;. Nam numerus quantitatem significat: & à specie quoque quantitatis ca

lamitatem

lamitatem magnopere auget: nam beatos illos esse, Aeneæ cõparatione, declaratur quidem Aeneæ miseria, sed bis beatos esse aliquantò maior apparet, At ter, & quater beatos multò maxima, & quæ uix animo posſit concipi, nedum oratione explicari. Sunt hic igitur tres amplificationis gradus, qualitatis, quãtitatis, & formæ quantitatis. Eodem argumenti genere utitur Andromache libro tertio, ad calamitatem suam exaggerandam.

O' felix una ante alias Priameia uirgo,
Hostilem ad tumulum, Troiæ sub mœnibus altis
Iussa mori.

Quàm enim miserabilis erat casus Andromachæ, si comparata cum ea felix Polixena habebatur? Præterea modus hic comparationis expresse, (ut ait Rodolphus Agricola libro tertio de inuentione Dialectica) ualet plurimùm ad rei magnitudinem colligendam. Est autem expressa comparatio, cùm utraque res inter se confertur, ac oratione explicatur: ut Virgilius in Bucolicis, declaraturus magnitudinem urbis Romæ, dixit.

Verùm hæc tantùm alias inter caput extulit urbes,
Quantùm lenta solent inter uiburna cupreſsi.
O' Danaum fortiſsime gentis
Tydide, me ne Iliacis occumbere campis
Non potuisse? tuaq; hanc animam effundere dextra?

Hæc

Hæc uerba morem uiri fortis mortem honestam exoptantis indicant; & hic modus loquendi per infinitum uerbum, accommodatus est animo perturbato, qui non perfectè profert orationem: Hoc modo superius locuta est Iuno.

Mene incepto desistere uictam:

Nec posse Italia Teucrorum auertere regem?

Et sermo ad Diomedem hostem conuersus mouet commiserationem: & Aeneæ fortitudinis est index: qui uel fortissimum hostem non reformidasset; sed cum eo esset congressus, nec ab eo uictus. Magnum est enim fortitudinis signum: cum omnium fortissimo hoste Aeneam congressum; nec ab illo superari potuisse: unde tacitè Aeneas à se quasi aliud agente, cōmendatur. Homerus eadem cecinit de Achille, maris tempestate uexato.

ὥς μ' ὄφελ' ἕκτωρ κτεῖν', αἴ τ' ἐνθάδε τέτραφ' ἄριστος.

Et hæc sententia sumpta est à dissimilitudine, & differentia eorum, qui occubuerant ad Troiam.

O Danaum fortissime gentis.

Hæc figura sententiæ, dicitur optatio: ut illud,

O mihi præteritos referat si Iuppiter annos.

Cùm quatuor syllabarum dictiones grandem efficiant orationem, Virgilius hoc carmine,

Contigit oppetere, ò Danaum fortissime gentis.

usus est duabus dictionibus quattuor syllabarum,

Oppetere, Fortissime.

Non potuisse, tuaq́ hanc animam effundere dextra.

Hic concursus uocalium, & hiatus, exprimit quasi actum animæ exeuntis è corpore, ut etiam in illo carmine de Aiacis morte,

Illum expirarem transfixo pectore flammas
Sæuus ubi Aeacidæ telo iacet Hector, ubi ingens.

Pontanus in Actio animaduertit hiatum, & complosionem earumdem uocalium, in hoc carmine afferre cum aurium uoluptate orationi dignitatem.

Talia iactanti stridens Aquilone procella,
Velum aduersa ferit, fluctusq́ ad sydera tollit.
Franguntur remi: tum prora auertit, & undis
Dat latus: insequitur cumulo præruptus aquæ mons.
Hi summo in fluctu pendent, his unda dehiscens,
Terram inter fluctus aperit: furit æstus arenis.
Treis Notus abreptas in saxa latentia torquet,
Saxa uocant Itali mediisq́ in fluctibus aras
Dorsum immane mari summo: treis Eurus ab alto
In breuia, & syrteis urget (miserabile uisu)
Illiditq́ uadis, atque aggere cingit arenæ.
Vnam, quæ Lycios, fidumq́ uehebat Orontem,
Ipsius ante oculos ingens a uertice pontus
In puppim ferit: excutitur, pronusq́ magister
Voluitur in caput: ast illam ter fluctus ibidem
Torquet agens circum, & rapidus uorat æquore uertex.

His carminibus animaduerto Virgilium quatuor esse complexũ quæ Tragicis, & Heroicis poematibus sunt complectenda, τὸ δεινὸν, τὸ ἐλεεινὸν, τὸ φοβερὸν, τὸ θαυμαστόν, hoc est, atrox, miserabile, horribile, admirabile. Cùm enim ait montem aquæ, & ad sydera fluctus sublatos & terram inter fluctus apertam, admirationem parit: cùm verò hos in summo fluctu pendentes, illos in imo iacentes, & æstum furentem fingit, horrorem incutit, cùm velum cõcuti, remos frangi, treis naues abreptas in saxa latentia torqueri, treis in breuia vrgeri, commiserationem mouet: id quod ipse testatur, interponens, miserabile visu. Hæc verò carmina.

Vnam, quæ Lycios, fidumq; uehebat Orontem,
Ipsius ante oculos, ingens à uertice pontus
In puppim ferit: excutitur, pronusq; magister
Voluitur in caput: ast illam ter fluctus ibidem
Torquet agens circum, & rapidus uorat æquore uertex.

Rei summam atrocitatem oculis subiiciunt: atq; hæc omnia ita referuntur à poeta, vt seruet illud Aristotelis præceptum, πρὸ ὀμμάτων ποιεῖν, idest, vt oculis subiici, quæ dicuntur, videantur. Et quoniam huiusmodi rerum descriptiones referuntur ad demonstratiuum genus, quod fere totum in earum rerum amplificatione, quæ sunt oratione explicandæ, versatur, perscrutemur diligenter, & quomodo tacita cõ-

paratione, huius tempestatis atrocitatem efferat; Ad quod intelligendum, necesse est exponere, quæ sit tacita comparatio; vt paulò superius, quæ dicatur expressa, est dictum. Est igitur cóparatio tacita, authore Rodulpho Agricola, libro tertio de inuentione Dialectica, capite tertio, cùm rẽ, de qua disserimus, in partes spargimus; & velut vnam in multas distribuimus: qui modus est amplificationi rerum aptissimus: multa namq; vno, quia plura sunt, maiora quoq; videntur. Qui bellum dixit, omnia, quæcunq; solent in bello fieri, comprehendit. At, qui metus hostiles, prædas, incendiaq; villarum, expugnationes oppidorum, cædem popularium, impensas militares, vastationem agrorum, famem, egestatem, omniaq; ferro, & flamma diruta, omnia sanguine conspersa dicet, quãquam ille nihil plus dixerit, dixisse omnia; cùm aliter, hoc est, solo belli nomine, nihil ferè dixisse videatur. Hoc modo comparationis, amplificandæ tempestatis causa, vsus est Virgilius hoc locò. Si enim dixisset, maximam pertulit Aeneas in mari siculo tempestatẽ; idem penè & si dixisset, tamen non apparuisset magnitudo tempestatis. At, cùm eam sic in partes deduxit, tacitè partes singulas inter se conferendo, rem ita exaggerauit, vt nihil maius dici, nihil atrocius excogitari posse videatur, vt carmina hæc singula legenti, facilè est videre. Ego ascriptum

hic

hic volui modum comparationis, & exemplum ex Rodulpho, vt studiosi dicãt, qua ratione poetæ rem sibi propositam augeant, & exornent oratione. Ad hæc adhibetur & hic alter amplificandi modus; qui est præsens rei conspectus; dum ait,

Ipsius ante oculos, ingens à uertice pontus.

Qui maximè in animos hominũ quoq; penetrat; nihil ad mouendos affectus potentius. Nam (ut inquit Horatius)

Segnius irritant animos demissa per aures,
Quàm quæ sunt oculis subiecta fidelibus.

Et hac de causa hic sunt omnia (vt paulò superius diximus) oculis subiecta: id quod poetarum est: quibus præcipuè sunt mouendi affectus:

Talia iactanti.

Homeri sententiam retulit: qui fingit Vlyssem vento, ac tempestatibus Iactatum, ferè vnda obrutum, dicentem propè eadem, quæ hic Aeneas.

ὣς ἄρα μιν εἰπόντ' ἔλασεν μέγα κῦμα κατ' ἄκρης
δεινὸν ἐπεσσύμενον.

Stridens Aquilone procella. Homerus.

αἶψα γὰρ ἦλθε
κεκληγὼς ζέφυρος μεγάλῃ σὺν λαίλαπι θύων
ἱστοῦ δὲ προτόνους ἔρρηξ' ἀνέμοιο θύελλα.

In breuia, & syrteis.

Pompilius Amasæus Romuli, nostra ætate viri eloquentissimi, præceptoris mei filius; vir, & multæ, & ac-

& accuratæ lectionis, ac summus amicus meus, interpretatur hoc verbum, Breuia, loca in mari æstuosa, atq; feruentia, à voce græca, βράχω ἀπὸ τοῦ βράχω, hoc est, æstuo, ferueo, vel feruere facio: non autem à dictione βραχὺ, quod breue significat: in cuius sententiã, vt veram, & ingeniose excogitatam, pedibus eo.

Tenq;, quuarq;

Hic ego consulto prætereo, quæcunq; de his numeris dicuntur à Macrobio. Id tantum refero, quod ex veterum monumentis collegi, trium numerum esse rerum omnium mensuram; Deum omnia terrario numero distribuere; omnia hoc numero absolui, vt medio, principio, & fine: & Orpheus dixit, Iouẽ esse bonum, pulchrum, iustum: bonum, dum creat omnia: pulchrum, dum perficit; iustum, dum pro meritis vnicuiq; tribuit. Quatuor verò numerum esse mirandæ potestatis illud declarat, quòd Pythagorici, qui numeris omnia constare dixerunt, iurabant per hunc numerum. Et admirandum, Dei nomen, apud omnes homines, quatuor constat litteris: nobis Deus dicitur, à Græcis θεὸς, Theut ab Aegyptiis, à Persis Syre, à Magis Orsi: Alla ab Arabibus. Ab Hebræis Adonai. Videmus deniq; mundum, & hominem quatuor elementis constare, & quatuor esse anni tempora, quibus omnia perficiuntur. Quare Poeta, cum supra modum beatos significare vellet, ex nu-

mero

mero, τὸ θαυμαστὸν eliceret, vsus est his numeris. ἀλληγορικῶς autem, hac tempestate puto nobis à summo Poeta significari statum, ac conditionem rerum humanarum, fortunæq; varietatem, ac summam vim animi perturbationum. Per mare, hanc vitam intelligimus: in qua venti, idest, animi perturbationes cũ dominantur, omnia sursum deorsum miscẽtur; multis exitium, paratur: Aquilonem esse rerum felices euentus dicimus; qui statim aduersis casibus recedunt: hi qui summo in fluctu pẽdent, & quibus terrã dehiscens vnda aperit, innuunt nobis fortunæ inconstantiam, quæ nunc nos extollat, nunc depriniat: Breuia, æstum animi; & inuidiam: Syrtes auaritiam notant; & ideo addit, Miserabile visu: Inuidi enim, & auari miserabiles sunt, & multi ab honesto abducuntur: Magister excutitur, hoc est, ratio prorsus à perturbationibus superatur, & in peiorem partem trahitur: & deniq;

Apparent rari nantes in gurgite uasto.

Hoc est, pauci admodum possunt euadere è tot, ac tantis huius vitæ miseriis, ac fortunæ telis. Neq; hoc à fine, & officio boni Poetæ abhorret, qui debet nobis vitæ hominum statum, & conditionem huiusmodi figmẽtis ostẽdere: Iason in lege Re cõiuncti de legatis tertio, vsurpat vice prouerbii hoc carmen,

Apparent rari nantes in gurgite uasto.

In materia difficili, & latissima; ad quam tamen extricandam pauci interpretes accesserint.

Fidum Orontem.

Ideo appellauit; quia Græcè ὁρῶν. videntem significat, à verbo ὁράω deductum, quod est video, respicio: quod est propriũ prudentis, & fidi amici: at hic etiã in maximis perturbationibus, & periculis deficit.

Prora auertit.

Pontanus ait in Actio, Poetam in quarto carminis pede, vsum iccirco vocalium earundem concursu, quòd hoc & ad rei magnitudinem; & ad numerorum dignitatem significandam sit accommodatissimum.

Hector ubi ingens.

Hic hiatus in sexto pede mirificè assurgit: quædam etiam cum magnitudine dignitas, numeris ipsis comparatur.

Præruptus aquæ mons.

Vastos uoluunt ad sydera fluctus.

Hic videmus nihil esse à poeta ommissum, quo admirabilem maximè declararet tempestatem. Addidit enim duas hyperbolas: quæ & si videntur à rerum natura recedere, tamen poetis, ad excitandam admirationem sunt concessæ.

Franguntur remi: tum prora auertit, & undis
Dat latus: insequitur cumulo præruptus aquæ mons.

Hic

Hic cognoſcitur ſeruatum illud Ariſtotelis præceptum, vt verba ſint proportione rebus ipſis explicandis accommodata. Nam apto verborum ſonitu, & duritie, rem duram, eandemq; horribilem effingit poeta: vbi ad literarum, ſyllabarumq; aſperitatem, ad pedis hiatum, vnius ſyllabæ verbum, duarum in fine conſonantium vi munitum, idemq; in ſibilum deſinens accedit: quo; & verſus, & ſententia terminatur: vt accumulatæ copiam aquæ irruentem qua nauis obruatur, cernere videaris: ſed de artificio tempeſtatis deſcriptæ hactenus.

Interea magno miſceri murmure pontum,
Emiſſamq; hyemem ſenſit Neptunus: & imis
Stagna refuſa uadis: grauiter commotus, & alto
Proſpiciens, ſumma placidum caput extulit unda.
Diſiectam Aeneæ toto uidet æquore claſſem.
Fluctibus oppreſſos Troas, cælíq; ruina:
Nec latuere doli fratrem Iunonis, & iræ.
Eurum ad ſe, Zephirumq; uocat, dehinc talia fatur.

Franciſcus Robortellus, vir noſtra ætate ſumma doctrina, maximoq; ingenio præditus, in commentariis, quos in Ariſtotelis de arte poetica primus edidit, animaduertit hoc in loco à Virgilio ſeruatum artis poeticæ præceptum, & decorum; quod eſt, ne ad Deos confugiamus, niſi cùm quid huiuſmodi inciderit, quod uiribus humanis fieri minimè poſsit. Nemo

-mo autem est, quin perspiciat, tantæ maris tempestati, ac periclitantibus Troianis, nullas mortalium vires potuisse occurrere & succurrere. Itaque necesse fuit ad Deos confugere: & quia non omnes dii hoc poterant præstare auxilium: & si poterant; non tam facile, neque tam cito; & celeritate opus erat; ne obruerentur omnes ad vnum Troiani: ideo Neptunus maris Deus à Virgilio effingitur, qui huic tanto malo medeatur: quod hoc ipse & posit, & debeat præstare officium: cui sit legitimè datum maris imperium: qui maiorem quàm Aeolus, habeat potestatem.

Interea. Hæc dictio τὸ ἰσθὶς indicat nusquam in narrationibus poeticis omittẽdum. Connectit enim insequentia antecedentibus: nam dum maximè turbatur mare, tum Neptunus Deus maris tempestatem sentit: & cognita tempestatis iniusta causa, mare tranquillum reddit. Sententiam verò hanc totam, qua dicitur Neptunus sensisse magnum maris motum, sumptam videmus ex fabula, quæ conficta est de Neptuno maris Deo, & opinione veterum confirmata: vnde fit verisimile, quod hic dicitur à Virgilio: qui Homerum est secutus, mutatis tantùm personis. Fingit enim Homerus Ino, Leucotheam, Cadmi filiam, Vlysis casum miseratam, illi vittam tradidisse: qua indutus, se in fluctus præcipitet, cuius beneficio

nescio saluus in Phæacum littus enatet; sed quam, vbi terram attigerit, rursum in mare procul à continente abiiciat. Adiuuat hunc ipsum Minerua paulò post, ventorum procellas vinciens, pacansq́; ac iubens tēpestates conquiescere, dum incolumis Vlysses ad Phæacum littus euadat. Hinc studiosi possunt discere, quæ sit vera aliquem scriptorem imitandi ratio: vt sententiam illius sumentes, ad rem suam accommodent. Hæc verba, Magno, Misceri, Murmure non significatione ipsa, sed sono ipso syllabarum, ac literarum, magnum maris motum, oculis non auribus tantum subiiciunt. Sunt enim tres continentes dictiones incipientes ab eadem litera: & Misceri propriè dicuntur ea, quæ crebro motu inter se confunduntur: & Murmur est unum ex iis nominibus, quæ factitia, siue fictitia dicuntur à grammaticis: & strepitum, ac motum aquæ significat, vel potius sono ipso exprimit.

Sensit Neptunus.

Ideo dixit Virgilius, quia quidam philosophi (ut ait Cicero libro de natura Deorum tertio) Neptunum dixere esse animum cum intelligētia per mare pergentem: intelligentia uerò est rei cognitio perfecta; qua fit, vt hoc, vel illud ita esse, vel nō esse sentiamus.

Et alto prospiciens.

Per hæc verba, & gestum prudentis viri, & prouidi re

gis longè quæ fiant prospicientis indicant.

Grauiter commotus.

Ob tempestatem excitatam:

Placidum caput extulit,

Ad indicandam tranquillitatem futuram.

Grauiter commotus.

In ventorum audaciam;

Placidum caput extulit.

Erga Troianos humanitatem præseferens: Et quoniam (vt initio est à nobis dictum) poetica est politicæ ministra, hic duo difficillima, & penè contraria, sed principi viro, ac regi necessaria in Neptuno poeta declarat; terrorem. & lenitatem; terrorem, ad scelestos ab iniuria coercendos; lenitatem, ad bonos iniuriam passos in bonam spem erigendos. Grauis enim commotio terrorem incutit: placidus vultus, spem, ac lenitatem præ se fert: quæ duo Isocrates Nicocli suo, regi optimo tradidit seruanda sic præcipiens. Δεινὸς μὲν φαίνου, τῷ μηδὲν σε λανθάνειν τῶν γιγνομένων, πρᾶος δὲ, τῷ τὰς τιμωρίας ἐλάττους ποιεῖσθαι τῶν ἁμαρτανομένων: id quod hic attribuit Neptuno Virgilius, cùm inquit:

Intereà magno misceri murmure pontum,
Emissamq; hyemem sensit Neptunus, & imis
Stagna refusa vadis.
Disiectam Æneæ toto videt æquore classem
Fluctibus oppressos Troas cœliq; ruina.

Nu

Nec latuere doli fratrem Iunonis, & iræ.

Hic nanque demonstrat illum omnia vidisse: at cùm placidum caput extulit, non subitò punit uentos, placat tumida æquora, sese mitem, ac per humanum præbet:

Nec latuere doli fratrem Iunonis, & iræ.

Hunc narrandi modum Lullus, qui nuper sex libros de oratione edidit, appellat logismon, à causa, vnde factum extat, sumptum: causa enim tantæ tempestatis sunt doli, & iræ Iunonis: doli, quia Iuno decepit Aeolum, falsò illi persuadens, pro arbitrio suo, Iouis concessu, illum posse, quicquid in mari libuerit, facere; & pulcherrimam uxorem pollicens; Iræ: quoniam

Manet alta mente repostum
Iudicium Paridis, spretæq; iniuria formæ.

Nec latuere doli.

Versus Homeri libri decimi quinti Iliados, est expressus, ἀλλ' ἐνόησε Διὸς γνωτὸς ἠδ' ὀργή.

Eurum ad se, Zephyrumq; uocat.

Ex hoc loco eos falli videmus, qui dicunt nõ omnes quatuor Principes vẽtos esse à Virgilio adhibitos ad summã tempestatem describendam; quandoquidem cum superius tres numerarit, Eurum scilicet, Notum, & Aquilonem; nunc autem Neptunum faciat ad se Eurum, ac Zephyrum vocantem; quid est, quòd dubitemus, non adfuisse tempestati excitandæ

Zephyrum? Allegoriam autem sequentes, dicimus Neptunum esse diuinā in homine rationis partem, quæ sentit sibi repugnantes animi motus: eosq; videt animi regnādi cupiditate potissimum in se excitatos; at ea se se ab humanis affectibus abducens, & se se colligens, illos domat, domitos procul à se dimittit, vnde exoritur summa vitæ tranquillitas, summa quies animi. sunt qui Neptunum interpretentur eam animi partem, quæ mens, & princeps à Cicerone, libro quinto de finibus appellatur. Inter mentis virtutes, Cicero potissimum reponit prudentiam; quam scribit in capiendo consilio requiri: quo nunc Aeneas vsus videtur, & ita seruatus. Nam Consus Neptunus, idest consilii Deus à Romanis colebatur: qui ab Herodoto, libro septimo, σωτήρ: & ab Homero in Hymnis, σωτης νῶν nominatur: vt hoc velit nobis significatum hoc in loco poeta, in rebus aduersis, nihil melius consilio: quo qui vtuntur, ii vel maxima euadunt pericula.

Tantáne uos generis tenuit fiducia uestri?
Iam cœlum, terramq;, meo sine numine, uenti
Miscere, & tantas audetis tollere moles?
Quos ego: sed motos præstat componere fluctus:
Post mihi non simili pœna commissa luetis.
Maturate fugam, regiq; hæc dicite uestro.

Hæc oratio respondet motui animi vehementi: quem

quem superius Neptuno dedit Poeta, cum dixit,

Grauiter commotus:

Grauiter enim commoto talis conuenit oratio. Et quando Neptunus gerit personam irati, et accusantis, videndum est nobis, qui sermo conueniat irato, & accusanti: & vt nobis sit notũ huius quoq; orationis artificium. Demetrius Phalereus, in libro de sublimi dicendi genere, inquit. Omnis breuitas grauitatem habet, & acrimoniæ multum. Vt autem feræ se se in orbem contorquentes pugnãt, sic vehemens, ac grauis oratio, debet esse in se contorta, hoc est, breuis quidem, sed acrimoniæ plena: & accusantis oratio ex se se nasci videatur; & quæ proferuntur ab irato, simplicia sint, oportet. Ira enim artis non indiget: simplex enim quiddam, & inelaboratum requirit animi perturbatio. Quæ à Demetrio de orationis decoro præcepta, in hac Neptuni oratione apparent seruata: nam breuis est, & acris; & apertè obiurgat; & è re ipsa proficiscitur: Iratus enim id profert, quod primo aspectu illi occurrit: at Neptuno occurrit magnus cœli, ac maris motus, à ventis audacibus iniussu suo excitatus; & ideo statim cum exclamatione, & obiurgatione talem motum profert. Est autem causæ genus hoc iudiciale: habet enim accusationem: status iuridicialis; in quo æqui, & iniqui; præmii, & pœnæ ratio quæritur. Summa nanq; to-

tius orationis est iniuria ventos tempestatẽ excitasse; & iccirco pœna dignos. Principium ductum est à causa impellente ad iniuriam: quæ est fiducia generis: vbi secutus est poeta Aristotelem, dicentem libro primo Rhetoricorum, eos esse iniuriosos, qui natura mala sunt: & in secundo, qui prius aggrediuntur, eos esse confidentes. Hæc duo ventis inesse Neptunus probat; qui & malo genere nati sunt, & illo freti, præuenerint ad regnum suum perturbandum. Et exordium aptum est causæ generi; quia ventos accusat: & à re ipsa sumptum est, idest ab iniuria ventorum; quod accusatori conuenit: probatio sumpta ab effectis, & causa, quæ est audacia; effecta, cœlum, & terras miscere contra iusti regis voluntatem. Sic enim arguit Neptunus. Qui in aggrediendo negotio modum excedunt, ac plus, quàm oportet, suscipiunt; ii sunt audaces: & qui aliena occupant inuito domino, sunt iniuriosi: tales vos estis venti, ac talia aggressi: ergo iniurii. Causa est audacia: effectũ, mare perturbatum: atq; accusatoriè hæc dicendo exaggerat per hyperbolen, & expolitionem. Nam perturbarunt tantùm mare Siculum, & perturbatio terrarum nihil ad Neptunum pertinebat: Et idem ferè est dicere, Miscere cœlum, ac terras; & tantas tollere moles. Et cùm tantas moles, pro horrenda tempestate posuerit; à pondere, & rei magnitudine du-

ćta trăslatione, & verbis rem præſentem ſignificantibus, vt Miſcere, Tollere, Audetis; πρὸ ὀμμάτων ποιεῖ. Et quando eſt accuſatoris, & irati hæc oratio; pathetica ſit neceſſe eſt, & ad indignationem dirigatur. Macrobius enim libro quarto, capite primo ſaturnaliorum, ait. Oportet, vt oratio pathetica, aut ad indignationem, aut ad miſericordiam tendat: quorum alterum reo, alterum accuſatori conuenit: initium abruptum habeat; quoniam indignantibus leniter incipere non conuenit: nec initium ſolùm tale eſſe debet, ſed omnis (ſi fieri poteſt) oratio, pathetica, & breuibus ſententiis, & crebris figurarum mutationibus, debet, velut inter æſtus iracundiæ, flućtuare. Talem videmus eſſe hanc Neptuni orationem. Nam ex abrupto incipit; Et profertur liberè, interminatur ſupplicium; habet crebras ſententiarum, & uerborum cõformationes, vt obiurgationem, exclamationem, reticentiam, comminationem; Trăslationes multas: quæ accuratè legenti per ſe ſe occurrunt: Hanc ideã orationis appellat Hermogenes σφοδρότητα; hoc eſt, vehementem, & aſperam dicendi formam: quæ fit, cùm ſuperior perſona obiurgat inferiorem: quæ ex rebus moleſtis ſumit ſententias: vt hoc in loco à malis ventorum parentibus, ab iniuria illata, & à rei indignitate, à pœnæ comminatione.

Dućtus huiuſmodi orationis debet eſſe figura-

tus:figuræ verò illæ; allocutio obiurgatio, querela, minæ,& omnis dicēdi libertas; quæ nulla correctione, aut mitigatione sententiæ leniatur. Hæc omnia in hac oratione inesse perspiciuntur. Nam alloquitur ventos, obiurgat, interminatur, liberè accusat: quæ molesta per se sunt, audienti:at dicenti, iucunda; quanquam propter personæ regiæ, quem gerit Neptunus, decorum, hæc quoq; dicendi ratio multùm retinet in se grauitatis. Quare admirabilior, & suauior efficitur poetæ oratio; quæ cū decoro, tot personas sustineat. Sed si quis quærat, cur poetæ pathetica oratione sæpè vtantur: eam puto esse causā, quòd τὸ εἰκὸς poetis est propositum; at nihil est perindè verisimile, ac sermo ex subito, ac improuiso animi motu erumpens: & inter animi commotiones; quæ cū molestia, & dolore iunctæ sunt; eæ sunt omnium maximè ad verisimilem afficiendam orationē idoneæ. Siquidē dolor magis sentitur, quàm voluptas; & minus admittit dissimulationis. Hinc pleni sunt poetarum libri personarum querētium, increpantium, exprobrantium, dolentium, timentium, minantium.

Quos ego: sed motos præstat componere fluctus.

Hic duo maxima, & difficillima regis officia docet Virgilius vnum: irascendum quidem esse, sed iracundè nihil faciundum (quod idem Nicocli regi

præcipit

præcipit Iſocrates, μηδὲν ποίει μετ᾽ ὀργῆς; Alterum, ſi tempus huiuſmodi inciderit, quo neceſſe ſit, vel improbos punire, vel bonos ſeruare; nec vtrunq; fieri poſſit; debere Principem ad ſalutem bonorum, quàm ad malorum perniciem eſſe propenſiorem: multò nanq; melius eſt inſontium ſaluti conſulere: quàm ſontes perdere: & quod melius eſt, id eſt eligēdum, & hoc modo affectum iræ reducit ex præcepto Ariſtotelis πρὸς τὸ εὖ.

Poſt mihi non ſimili pœna commiſſa luetis.

Non ſimili pœna, ideo dixit; quia, cum mens, & ſuperior ratio dominari incipit, appetitus perpetuò iacet: & animi perturbationes ad tempus imperant; non perdurant: at ratio, & prudentia ſtabiles, & firmæ ſunt.

Maturate fugam.

Ommittò quicquid ſuper hoc loco dicunt reliqui interpretes; & ſequor ego interpretationem Macrobii, quæ eſt libro ſexto Saturnaliorum capite vltimo: vbi Auienus ſic inquit: Maturate fugam, quid ſit, parum mihi liquet; contraria enim mihi videtur fuga maturitati, vnde quid de hoc verbo ſentiendũ ſit quæſo me doceas. Et Seruius Nigidius, homo omnium bonarũ artium diſciplinis egregius, Maturare (inquit) eſt, quod neq; citius, neq; ſerius, ſed mediũ quiddam, & temperatum eſt. Benè, atq; propriè Nigidius:

gidius: nam & in frugibus, & in pomis matura dicuntur, quæ neq; cruda, & immitia sunt, neq; caduca, & nimium cocta; sed tempore suo temperatè adulta. Hanc interpretationem Nigidianam diuus Augustus duobus verbis græcis eleganter exprimebat. σπεῦδε βραδέως: per quod monebat, vt ad rem agẽdam simul adhiberetur, & industriæ celeritas, & tarditas diligentiæ, ex quibus duobus contrariis fit maturitas. Sic ergo Virgilius inducit discessum ventis imperantem; vt & citò discedant, quasi fugiant: & tamen flandi mediocritatem in regressu teneant; tanquàm maturè, idest temperatè abeuntes: veretur enim ne in ipso discessu, clasi noceant; dum raptu nimio, tanquàm per fugam, redeunt. Idem Virgilius scitissimè duo ista verba Maturare, & Properare, tãquàm plenè contraria, separauit his versibus.

Frigidus agricolas si quando continet imber,
Multa forent cælo, quæ mox properanda sereno,
Maturare datur:
Non illi imperium pelagi, sæuumq;
Tridentem, sed mihi sorte datum.

Aeoli audaciam, & iniustitiam declarat à maris imperio sibi iustè dato. Cùm enim sint certi regnorũ termini, quos transcendere sit iniurium; Et Aeolus hoc commiserit, contra iuris præceptum fecit, quod est, alterum non lædere. Et memor summus poeta

officii ſui, hoc in loco innuit, vnumquenq; regem debere intra regni ſui fines ſe ſe continere: regnorũ limites eſſe definitos; in regno ſuo vnumquenq; regem pro arbitrio ſuo viuere poſſe; ſed in alienum inuadere minimè licere. Et auget Neptunus ventorum temeritatem, à collatione vtriuſq; regni. Meũ eſt imperium maris, mihi ſorte, & hæreditario iure datum: illius regnum, ſunt ſaxa immania, quæ alterius etiam beneficio tenet; qui, cum velit, poſsit, quod dedit, auferre. Quomodo autem ſorte ſit Neptuno datum maris imperium, Homerus oſtendit libro decimo quinto Iliados, vbi facit Neptunum ſic dicentem.

τρεῖς γάρ τ' ἐκ κρόνου εἰμὲν ἀδελφοὶ οὓς τέκετο ῥέα
ζεὺς καὶ ἐγὼ τρίτατος δ' ἀΐδης ἐνέροισιν ἀνάσσων
τριχθὰ δὲ πάντα δέδασται ἕκαστος δ' ἔμμορε τιμῆς
ἤ τοι ἐγὼν ἔλαχον πολιὴν ἅλα ναιέμεν αἰεὶ
παλλομένων· ἀΐδης δ' ἔλαχε ζόφον ἠερόεντα
ζεὺς δ' ἔλαχ' οὐρανὸν εὐρὺν.

Tridentem attribuunt Neptuno poetæ pro ſceptro, ſignificantes triplicem aquæ virtutem, ideſt, vt ſit liquida, fœcunda, & potabilis. Põtanus libro quinto de obedientia, putat in Neptuno ſupremi magiſtratus, qui exortam comprimere ſeditionem velit, perſonam exprimi: qui vbi turbari, ac miſceri videt omnia ſtatim autores ipſos ſeditionis ad ſe vocatos obiurgat, ac illorum comprimit audaciam, illosq; ex

vrbe

vrbe expellit: & quia expulsis turbulentis ciuibus, sua tranquillitas vrbi restituitur, inquit.

Tumida æquora placat

Temperat æquor.

Poetæ verò duabus de causis hæc hominum officia ad Deos referunt: tum, vt augustiora, & admirabiliora, quæ dicuntur, videantur: tum, vt Deorum & dicta, & facta nobis exempla proponant, quibus res hominum vel probari, vel improbari videantur.

Sic ait, & dicto citius tumida æquora placat
Collectasq; fugat nubes, solemq; reducit.
Cymothoe simul, & Triton adnixus, acuto
Detrudunt naues scopulo: leuat ipse Tridenti,
Et uastas aperit syrteis, & temperat æquor:
Atque rotis summas leuibus perlabitur undas.

Hic adnotanda est περιπέτεια, qua fortuna Troianorum in contrarium, sed feliciorem exitum mutatur: quæ habet in se τὸ θαυμαστόν. Est hoc enim admiratione plenum, ex subita, & atroci tempestate Troianos seruari; & statim summam tranquillitatem sequi: vbi vicissitudo hæc fortunæ, ac varietas magnã affert lectori voluptatem. Animaduertendum est etiã ordo, quo trãquillitas maris descripta est. Nam, vt in tempestate describenda, Aeolum primo loco posuit ventos in mare relaxantem; Sic & hic Neptũnus primus ventos abire iubet, vt illic venti mari incubuere,

cubuere, ac Troianorum naues huc, atq; illuc impulsas penè submersere, in scopulos detrusere: ita hic Cymothoe, ac Triton summo conatu è scopulis easdem extrahunt: vt Aeolus cõuersa cuspide, cauum montem impulit in latus; sic Neptunus Tridenti leuat naues Troianorum, ac temperat æquor. Itaque vna probatio tranquillitatis, est à causa efficiẽti: venti enim è mari expulsi, & Neptunus placans æquora tumida sunt causæ tranquillitatis efficientes: altera ab effectis, vt nubium fuga, solis luce fulgẽte, æquore temperato. Sic ait ὣς φάτο. Pontanus in Actio ait, quoties in quinto carminis pede fit collisio carmen ipsum mirificè assurgere, & quandam etiam cũ magnitudine dignitatem numeris ipsis comparari. vt

Tumida æquora placat,

vt illud

Scænis decora alta futuris.

Exprimitur hisce versibus ἦθος diligentis, & optimi principis; qui, quod optimum factu iudicarit, nulla mora id exequatur. Placare verò tumida æquora, est animi nimiũ vehementes affectus πρὸς τὸ εὖ. adducere. Collectas nubes fugare, est falsas opiniones, ex affectibus varijs, & vehementibus, hominum animis insitas, tollere. Solem reducere est veram, & rectam rerum cognitionem, expulsis ignorantiæ tenebris, hominibus ostendere: Cymothoe, ac Triton, significant

ficant duplicem intelligendi, & cognoscendi rationem; alteram ex suo ingenio, alteram ex aliorum voce, ac præceptis. κῦμα etenim græcè vnda dicitur: & θέω curro: vt, Cymothoe sit, per undas currens: cui comparatur is, qui per se perscrutatur rerum causas. Triton est Tibicen: qui, quicquid profert, vel canit ad populum, id aliorum voce facit præeunte.

Atq; rotis summas leuibus perlabitur undas.

Hæc sententia, vt superior de Cymothoe, & Tritone sumpta est ex ratione illius fabulæ; quæ est apud Platonem in Critia, siue Atlantico de Neptuno: qua effingitur templum Neptuno positum, amplitudinis eximiæ, & structuræ admodum admirandæ; & Deus ipse curru insistens; & tenens equorum alatorum habenas, laquearia templi alta ceruice tangens: hunc circa, Nereides delphinis insidentes. Hic quoque animaduertendum, hanc subitam tranquillitatem esse per verba actionem hanc, & Neptuni studium præsens significantia. vt, *Placat, Fugat, Reducit, Detrundunt, Leuat, Aperit, Temperat, Labitur*, vt omnia πρὸ ὀμμάτων faciant.

Ac ueluti magno in populo, cum sæpè coorta est
Seditio, sæuitq; animis ignobile uulgus:
Iamque faces, & saxa uolant, furor arma ministrat.
Tum pietate grauem, ac meritis si forte uirum, quem
Conspexere, silent, arrectisq; auribus astant.

Ille

Ille regit dictis animos, ac pectora mulcet,
Sic cunctus pelagi cecidit fragor, aequora postquàm
Prospiciens genitor, caeloq; inuectus aperto
Flectit equos, curruq; uolans dat lora secundo.

Omnium locorum, è quibus ducuntur argumenta, nulli ferè minus est virium contra renitentem auditorē, quàm similitudini; ad eum verò, qui sponte sequitur, docendumq; se praebet, accommodatior nullus est. Aperit enim rem si rectè adhibeatur; & quandam eius imaginem subiicit animo; vt cùm assentiendi necessitatem non afferat, afferat tacitum dissentiendi pudorem. Quapropter ad probandū non ita crebrò, ad explanandum, illustrandumq; saepè ab oratoribus, à poetis saepius adhibetur. Quare Virgilius, postquàm ab effectis, & signis, cùm antecedentibus, tùm consequentibus, probauit mare à Neptuno tranquillum factum, ad authoritatem Neptuni demonstrandā, & tranquillitatem illustrandam, & lectorē delectandum, similitudine à seditione in populo coorta, qui cōspectum alicuius praestantis viri intuēs statim conquiescit, rectè sumpta, & Neptuni personam, & factum ob oculos ponit. Quis verò nō videt haec, quae hic dicuntur omnia, inseruire politicae? Nam & populi seditione commoti quae sit natura, quomodo placetur, qualem oporteat esse principem, qualem oratorem, hisce carminibus docemur.

Nam cùm finis ſit politices (vt initio à nobis eſt dictum) beatos efficere homines, nec id poſsit fieri, niſi antè boni facti fuerint; boni verò nequaquam eſſe poſsint, niſi pareant rectè latis legibus; & parere nolint, niſi perſuadeantur; poetica, ſuaui ſermone perſuadet parere legibus; & hoc modò bonos efficit: vndè beatitudinem poſteà conſequuntur. Et ex præcepto Ariſtotelis, huc reſpicit, quicquid à poetis, vel fabuloſè, vel verè dicitur. cum verò ſimilitudo debeat hoc habere, vt vtrunq;, quod inter ſe cōparatur, in eo, quod comparatur, conueniat; hoc ſeruatum eſt à ſummo poeta hoc in loco. Nam populus, & mare in hoc conueniunt; quod eadem eſt vtriuſq; natura: vt enim nihil eſt mari tranquillius, cùm ſilent venti; ſic nihil populo quietius, cùm abſunt ſeditioſi; vt nihil eſt mari mobilius, ſic nihil populo leuius: vt procelloſo mari, ac ventis vehementer flantibus, nihil eſt magis horrendum; ita populo ſeditionibus commoto nihil immanius. Sebaſtianus Corradus vir multæ lectionis, & multæ doctrinæ in Quæſtura ſua ſic hunc locum interpretatur, vt;

Magno in populo.

Putet dictum, de populo Romano; qui verò magnus erat populus. Seditio. Seditionem verò illam theatralem intelligat, cuius fuit autor L. Roſcius Otho, ferēs legem, qua equitibus Romanis, in theatro

quatuor-

quatuordecim gradus proximi (vt ſcripſit Liuius) aſſignarentur: quæ res magnopere populi Romani animos commouit; atq; in Othonem incēdit: quem Cicero acerrimè defendit, ac pro illo habuit luculentā ad populum orationē; quā, cùm dixiſſet L. ipſi Othoni, theatralis ſeditionis autori leges ignouerunt; notasq; ſedes, ignominiæ diſcrimine, æquo animo, (vt ait Plinius) tulerunt: vt, grauem pietate virum, intelligat Corradus Ciceronem: qui ſeditionē, quæ fuerat inter equites, & plebem propter Roſcium in theatro facta, ſedauerit; & magnam indè laudem tulerit: quā Corradi interpretationem fateor ingenioſè quidem excogitatam; ſed tamē veriorem hanc eſſe, & poeticæ orationi aptiorem: vt, cùm poeta non ſingularia, ſed vniuerſa reſpiciat; de quo vis magno populo, & de quacunq; ſeditione exorta, de quolibet bono viro Virgilius intelligat. Nam & Quintilianus, capite primo libri duodecimi ait. Orator, aut innocētes tuebitur, aut improborum ſcelera compeſcet, aut in pecuniariis quæſtionibus veritati contra calūniam aderit: ſummus ille quidem in his quoq; operibus fuerit, ſed in maioribus clariùs elucebit, cùm regenda ſenatus conſilia, & popularis error ad meliora ducendus. An non talem quendam videtur finxiſſe Virgilius, quem in ſeditione vulgi, iam faces, & ſaxa iaculantis, moderatorem dedit.

Tum pietate grauem, ac meritis si forte uirum quem
Conspexere, silent, arrectisq; auribus astant.

Habemus igitur ante omnia virum bonum; post hæc adiecit dicendi peritum.

Ille regit dictis animos, & pectora mulcet.

Furor arma ministrat.

Et hoc ipsum è Græco sermone fluxit: hæc.n.verba, à vetere scriptore prolata leguntur, apud interpretem Homeri Eustathium pluribus locis. τὸ παρατυχὸν ὄργανον ὅπλον ἐστὶν ἀχορηγήτου θυμοῦ, & ἐπ' ἐχθροὺς θυμὸς ὁπλίζει χέρα. Proponit præterea, quibus armis populus in officio contineatur: Et principem eum esse verum regem, qui in Deos pietate, meritisq; in patriam sit clarus, ac eloquentia plurimum valeat. Item hinc discimus, quanta sit vis eloquentiæ; & quas ad res sit adhibenda, ad seditiones scilicet tollendas, ac motum populi sedandum; ad iniurias prohibendas, & quod vi, ac armis summi Imperatores sæpe non possunt; verbis id assequuntur viri boni oratores.

Sæuitq; animis ignobile uulgus.

Est hæc interpretatio, & definitio superioris proximi verbi Seditio, quæ nihil aliud est, quàm motus populi contra magistratus.

Iamq; faces, & saxa uolant; furor arma ministrat.

Hanc sententiæ conformationem appellat Rufinianus ὁδάνην: quæ fit propriè, cùm præponitur

non

non id, quod fieri oportet, sed quod fit: vt dictum illud Tullii de Dolabella. Dolabella autem, quemadmodum homines nobiles decet, vlcisci iniuriam fortissime perseuerat. Dici etiam potest hypotyposis, quia effingit faces, & saxa volantia, & furorem armorum ministrum: sic faceret pictor, si populi furorem pingeret.

Defessi Aeneadae, quae proxima littora, cursu
Contendunt petere: & Libyae uertuntur ad oras.
Est in secessu longo locus, insula portum
Efficit obiectu laterum, quibus omnis ab alto
Frangitur, inque sinus scindit sese unda reductos.
Hinc, atque hinc uastae rupes, geminique minantur
In caelum scopuli: quorum sub uertice late
Aequora tuta silent: tum syluis scena coruscis
Desuper, horrentique atrum nemus imminet umbra.
Fronte sub aduersa, scopulis pendentibus antrum:
Intus aquae dulces, uiuoque sedilia saxo,
Nympharum domus, hic fessas non uincula naues
Ulla tenent: unco non alligat anchora morsu.

Duobus primis carminibus, docet summus poeta, homines ad summa contendentes, debere manibus, ac pedibus conari, vt ad ea perueniant: verùm si defessi id non poterint, quae proxima sunt, teneant: vt, quod Cicero ait libro primo de Oratore, de quouis homine, qui summa sibi proponat, hic ad Troia-

nos

nos retulerit Virgilius. Ad summa contendentem, honestum esse in secundis, vel tertiis consistere: & in oratore. In præstantibus rebus magna sunt ea, quæ sunt optimis proxima: Nam erat Troianis, è littore Siculo soluentibus, propositum, in Italiam venire; at tempestate iactati, id minimè potuerunt: sese igitur ad proxima littora, & oras Lybiæ conuerterunt: neque hoc caret arte: habet enim τὸ ἀφελὲς, & τὸ εἰκὸς. Fit namque maximè uerisimile atq; consentaneum, ut tempestate aduersa uexati, aliò, quam in animo haberent, sint delati: cumq; poetis uitæ hominum cōditio incerta, & fortunæ telis omnibus exposita, sit imitatione exprimenda; hoc in loco difficillimum esse assequi, quod tibi proposueris; & ad optatum finem peruenire, rarò cōtingere; plurimaq; nobis opponi impedimenta, Troianorum exemplo declarat Virgilius. Qui allegoriam sequuntur, aiunt defessos maris procella Aeneadas, esse animū hominis, perturbationibus vexatum: qui, cùm non posit in Italiam, hoc est, ad vitam in rerum cognitione, & cōtēplatione versantē peruenire; quæ omnium est perfectisima; ad vitam actuosam, & Reip. administratione occupatam se se transfert. Nam per Carthaginem huiusmodi vitæ rationem nobis significatam volunt nonnulli: & ideo fingit illos vrbem condere; Reginam Didonem iura, legesq; dare.

Eſt in ſeceſſu. Tria ad artificium poeticum cognoſcendum, mihi in hac portus deſcriptione, vidẽtur conſiderãda: vnum, cur hunc portum deſcribat: alterum, quomodo deſcribat: tertium, quàm benè ſit Homerum imitatus. Deſcribit huiuſmodi portũ hac de cauſa; vt prudentiam nobis Aeneæ, in nauibus à tempeſtate ſeruatis, in tutò collocandi, & ſuorum ſaluti conſulendi appareat. Nam, cum prudentis ſit officium præſentia optimè gubernare, futura proſpicere, præterita meminiſſe; oportuit poetam ſi verè, vt ſibi propoſuit, Aeneam vellet oſtendere virũ perfectum, illum fingere memorem præteritæ tẽpeſtatis, iturum exploratum loca, ad quæ appulit: & in tutò ſuas naues, ac ſocios collocaturum, locum talem ante ſibi deligere, qualem nunc deſcribit Virgilius. Vt enim optimo Imperatori primùm locus caſtris ponendis idoneus, & contra hoſtes munitus eſt deligẽdus: ſic optimo gubernatori nauium, regi hominum ſuorum ſaluti eſt loco tutò conſulendum: Tota igitur loci huius deſcriptio ad Aeneæ prudentiam declarandam ſpectat: qui in hunc portum deduxerit ſuas naues, ac comites. Ita verò effingit, vt à communioribus, ac notioribus ad propria, & notiora progrediatur; quæ vera eſt docendi methodus. Nã à genere incipit, qui eſt locus; cuius ſpecies ſunt, inſula, & portus: omnis enim inſula, & omnis portus,

ſunt

sunt loca: sed non omnia loca, sunt insulæ, vel portus. sequuntur rei partes, quas vocant philosophi essentiales, vt, longus secessus, obiectus laterũ, vastæ rupes, gemini scopuli: inde adduntur maximè propria.

Quibus omnis ab alto
Frangitur, inq; sinus scindit se se unda reductos.

Vsq; ad illud, Nympharum domus: quanquàm hæc inhærentia possumus appellare: vel adiuncta: vt scæna, syluæ, nemus, vmbra, Antrũ, dulces aquæ sedilia; quæ omnia partim inhærent, partim huic portui sunt adiũcta. Vbi videmus seruatum Aristotelis præceptum, quod est, poetam respicere perfectam rei formam. Non enim vnquàm apud historicos legimus talem portum: sed poeta ad Aeneæ laudem, & poetices officium, talem effinxit: Homerum autem optimè est imitatus: quando ab illo inuentionem, & sententiam mutuatus, alia in orbis regione, portum hunc suum descripsit, & multa addidit, quæ nõ sunt apud Homerum: quædã etiam prætermisit, ut optimum decet imitatorem. Carmina Homeri, in libro decimo tertio Odysseæ leguntur.

φόρκυνος δέ τις ἐστὶ λιμὴν ἁλίοιο γέροντος,
ἐν δήμῳ ἰθάκης, δύο δὲ προβλῆτες ἐν αὐτῷ.
ἀκταὶ ἀπορρῶγες λιμένος ποτιπεπτηυῖαι
αἵ τ' ἀνέμων σκεπόωσι δυσαήων μέγα κῦμα
ἔκτοθεν, ἔντοσθεν δέ τ' ἄνευ δεσμοῖο μένουσι
νῆες ἐΰσελμοι, ὅτ' ἂν ὅρμου μέτρον ἵκωνται.

Reliqua

Reliqua carmina, quæ sequuntur, diligens lector leget apud Homerum. carminum autem Virgilii allegoria ita se habet. Insula, quæ habet vndiq; mare, est mortalium vita; quæ tamen sua ui fluctibus resistat. In secessu longo ideo esse dicitur, quia debet animus esse longè à perturbationibus semotus. Latera, & rupes sunt virtutes; quæ nos defendũt à fortunæ telis; & ideo rupes, quia virtus in difficili versatur: vnda frangitur rupibus, idest, res aduersæ, & impetus fortunæ animiq; perturbationes, vna virtute prosternuntur. Geminiscopuli, duplex est lumen rationis: Aequora tuta, sunt appetitus sedati. Sylua vero, scæna, & nemus, demonstrant neminem posse penitus in hoc mundo perturbationibus carere, & perfectã, rerum omnium cognitionem assequi. Dulces aquæ, sunt veræ voluptates ac solida gaudia, quæ ex superatis vitiis homines percipiunt. Quærunt naturaliũ rerũ studiosi, quomodo in antro, quod est in fronte aduersa portus, sint aquæ dulces; cùm aqua maris sit amara; nec fiat verisimile quin eò ingrediatur: sed tollitur omnis dubitatio si naturam aquæ maris cõsiderabimus: ea enim est crasior, & densior; & ideo facilius sustinet pondera vel grauissima, quàm aqua fluminum, quæ est subtilior, & leuior. Quemadmodum igitur funis nõ potest immitti in foramẽ acus, quia nimis crassus; sic aqua maris crassa, & densa non

potest penetrare in aquam fontium, vel fluminum dulcem; quod sit subtilis nimium, ac leuis.

Est in secessu.

Hæc orationis forma Hirmos à græcis appellatur: quæ fit, cùm vniformis continuatur orationis series, vnius casus tenorem ad clausulam vsq; custodiens. Vt hic, licet videre, & in sexto libro.

Principio cælum, ac terras camposq; liquentes,
Lucentemq; globum lunæ, Titaniaq; astra
Spiritus intus alit; totamq; infusa per artus,
Mens agitat molem, & pleno se corpore miscet.
Huc septem Aeneas collectis nauibus, omni
Ex numero subit: ac magno telluris amore,
Egressi optata potiuntur Troes arena:
Et sale tabentes artus in littore ponunt.
Ac primùm silicis scintillam excudit Achates;
Suscepitq; ignem foliis; atque arida circum
Nutrimenta dedit; rapuitq; in fomite flammam.
Tum cererem corruptam undis, cerealiaq; arma
Expediunt fessi rerum; frugesq; receptas,
Et torrere parant flammis, ac frangere saxo.

Prima duo carmina nobis declarant, cur Virgilius fuerit in portu describẽdo diligentissimus; nempe vt Aeneas, (quod paulò superius dictum est) laudetur: qui se ac suos in locum tutum deduxerit: & vt fabula cohæreat, vt præcipit Horatius: nam ira excitat

tat Iunonem in Troianos: quæ mouet Aeolum, vt vim ventis incutiat: ex impetu ventorum sequitur maris perturbatio: hinc nauigantes Troiani iactantur in mari: tempestatem sentit Neptunus, & tempestatis causam iniquam: & ideo obiurgat ventos, è regno suo expellit, mare tumidum placat: sequitur trãquillitas: Troiani ad oras Lybicas deferuntur, portũ ingrediuntur, curant corpora. Ecquis nõ videt hæc, & si ficta, sic tamẽ narrata, vt vera esse, & alia ex aliis pẽdere, ac cõsequi videãtur? Et hoc est, quod ait Aristoteles in libro de poetica, poetarum mendacia debere esse verisimila.

Ac magno telluris amore,
Egressi optata potiuntur Troes arena;
Et sale tabentes artus in littore ponunt.

Hic apparet ἦθος eorum, qui diutius nauigarunt, ac mare procellosum, ac ventis contrariis commotum sint experti; terram .n. exoptant, quam cum primùm conspexerint, lætantur; & in arena ipsa, non secus, ac in ampla domo, & molli lecto conquiescunt. ἀλληγορικῶς sic interpretamur hæc carmina: vt, significet poeta eos, qui ciuilem vitam ingrediuntur, hos oportere per hæc pericula eò peruenire. Quòd verò septem nauibus collectis huc subierit Aeneas, indicat, Principes viros, debere æquè suorum populorũ, ac suæ ipsorum saluti consulere. Achatem autem

qui primus excudit ignem è silice, innuit curam eam esse, quæ desides hominum animos, ad opera excitat necessaria. Animaduertendus est etiam ordo, quo vsus est in iis explicandis: quæ, vt mos, ac natura fert, fieri solet ab iis, qui iactati ventis, & vndis in portum tandem sunt delati; in littus descendunt, accendunt, ignem, Cererem vndis corruptam expediunt, & fruges torrent, ac saxo frangunt. Hic enim, tanquàm in speculo, contēplamur naturam hominum, primum se, corpusq́; suum tuentium, deinde ad victum necessaria paratium. Amplificatur studium eliciendi scintillas, ab ipsius rei natura, & ordine. Exculditur scintilla primò è venis silicis: suscipitur ignis aridorum foliorum fomentis: aggeruntur arida ligna: hinc structo foco, proximum est, vt frumēto saxis comminuto, panis conficiatur, ac coquatur. Vsus est & verbis poeticæ orationi accommodatis: nam Cererē pro frumento per metonymiam; Troes pro Troianis, oriundis à Troe rege. Tabentes, languentes. Salo. Synecdoche est, pro aqua marina salsa. Nutrimenta. Verbum translatum ab animali, ad id, quod non est animal; hoc est, ad ligna, quibus ignis, ceu alimento nutritur.

Rapuitq́; in fomite flammam.

Periphrasis, pro, ignem accendit. Huiusmodi verborum cōformationibus, orationem poeticam insper-

sam

ſam eſſe, ac ornatam oportere, docet Ariſtoteles in libro de poetica. Neque diſceſsit ab Homeri veſtigiis: nam poſt deſcriptionem Ithacenſis portus, ſic Homerus cecinit. ἵνθ' οἶγ' εἰσέλασαν πρὶν εἰδότες. vide Homerum libro decimotertio Odyſſeæ.

Aeneas ſcopulum intereà conſcendit, & omnem
Proſpectum laltè pelago petit; Anthea ſi quà
Iactatum uento uideat, phrygiaſque biremes:
Aut Capyn, aut celſis in puppibus arma Caici.
Nauim in conſpectu nullam: treis littore ceruos
Proſpicit errantes: hos tota armenta ſequuntur
A tergo, & longum per ualles paſcitur agmen.

Hoc in loco videmus ſeruatum Horatii de perſonæ decoro præceptum. Nam Achatæ data eſt cura ignis accendendi: quia hoc illi in primis conueniebat: cura enim, quæ per Achatem ſignificatur, abſtruſa quærit, & occulta: primaq; homines excitat: aliis verò prouincia mandata eſt expediendi Cerealia arma, parandi ad victum neceſſaria, vt torrēdi fruges, & ſaxo frangendi: at Aeneam, vt Regem optimum decet, facit Virgilius ab iis muneribus liberū, ſpeculatum abeuntem, num videat vſquàm ſocios amiſſos: quia (vt ait Ariſtoteles in politicis, & Ethicis) regem oportet omnia referre ad eorum commodum, qui ſunt in eius imperio: & de illorum ſalute ſollicitum eſſe. Summa etiam ratio habita eſt ordine,

ne, ac rectè hæc regia munera obeundi. Primò nãq; præsentibus sociis Aeneas prospicit: deinde absentium curam suscipit. Est præterea morata hæc oratio: quæ consiliorũ, & morem boni regis suos amantis deq; absentium periculo, & salute solliciti: ex alto enim prospicit num vsquàm eos videat: Ad Homeri exemplũ hæc ficta sunt de Aenea. Vlysses enim trium dierum tempestate aduersa iactatns, & tãdem in portum delatus, de naui egreditur, speculaturus, quo locorum venro accessisset. Homeri carmina sunt hæc.

ἔστην δὲ σκοπιὴν ἐς πεπαλόεσσαν ἀνελθὼν
καί μοι εἴσατο καπνὸς, ἀπὸ χθονὸς εὐρυοδείης.

Nauem in conspectu nullam; treis littore ceruos
Prospicit errantes. Non desunt, qui hoc in locq reprehendant Virgilium: qui falsa prorsus dixerit, fingens ceruos ab Aenea in Africæ littore inuentos; cum omnes ferè Geographi, & Historici, narrent in Africa ceruos non esse. Sed defenditur ab Aristotele Virgilius in libro de poetica: vbi ait duo in poemate errorum genera reperiri; alterum per se, quod ad propriam ipsius poetæ facultatem spectat; alterũ per accidens, quod ad alias artes, & scientias pertinet; quod leuissimum est, & venia dignum: cuius modi est hoc Virgilii de ceruis erratum. Nam, & si rè vera non fuerint cerui in Africa, verisimile tamen est,

cos

eos eſſe potuiſſe: at veriſimile ſequuntur poetæ:nec illis vitio dandum,ſi falſa referant,modò veriſimilia ea ſint:quia neq; in Africam Aeneas eſt profectus; & ſi profectum eſſe veriſimile eſt:neq; Pindarus,qui in Olympiis,Ode tertia,ceruæ cornua attribuerit,cum iis fœmina careat,cõdemnandus eſt;cum eum etiã, vt noſtrum poetam,excuſet Ariſtoteles,dum ait. Leuius enim fuerit,ſi quis ceruam cornua non habere ignorauerit,quàm ſi non bona imitatione deſcripſerit: quia, ſi ignorauerit ceruas non habere cornua, erit peccatum per accidens: ſi verò malè deſcripſerit,erit peccatũ per ſe,hoc eſt,ex artis poeticæ ignoratione,cui nulla venia eſt concedenda. Cum igitur hoc Virgilii erratum (ſi erratum eſt appellandum) ſit per accidens,eſt venia dignum. Homerum & hoc in loco imitatus eſt, qui libro nono Odyſſeæ facit Vlyſsi otioſè Cyclopum inſulam peragranti, capras occurrentes, ab eo, ad reficiendos ſocios ſuos eſſe occiſas: & libro decimo,ceruum magnum eſſe venabulo transfixum. Carmina Homeri hæc ſunt.

καὶ τότε τίς μι θιῶν ὀλοφύρατο μοῦνον ἰόντα
ὅς ῥά μοι ὑψίκερον ἔλαφον μέγαν ἰς ὁδὸν αὐτὴν
ἧκεν.

Et nonò libro ait.

ὦρσαν δὲ νύμφαι κοῦραι Διὸς αἰγιόχοιο αἶγας ὀρισκώους, ἵνα δειπνήσειαν ἑταῖροι.

Ideo ſcopulum cõſcendit Aeneas,quia alta loca ſunt

ad

ad proſpiciendum idonea: ſic Terentius de Pamphi lo quærente, inquit, aſcendo in quendam excelſum locum, circunſpicio: quod habet εἰκός. Præterea hoc facit ad futuram ceruorum venationem, ac ſtragem veriſimiliter explicandam. Nam Xenophon in libro de Venatione inquit. Venator de ſpecula proſpiciet: & ceruas ſimul cum luce hinnulos ad locum ducere videbit: in quo ſuum quæque fotura eſt. Hic ad excitandam admirationem fingit Aeneam, quod conſultò aggreſſus fuerat, vt ſcilicet ſocios abſentes inueniret, non aſſecutum; id, quod caſus obtulit, ad præſentium commodum conuertiſſe: quod ſignificatur etiam optimum regem, & conſilium & caſum ad populi ſui utilitatem accommodare. Venatorem ideò facit Aeneam: quia, & inuentum Deorum eſt venatio (vt narrat Xenophon in libello de venatione; vbi & Aeneam connumerat inter optimos venatores, Chironis diſcipulos; qui hac diſcipliua omnes maximam ſibi laudem compararunt) & venatio inſeruit politicæ. Nam eſt quoddã belli ſimulachrum: Et hac de cauſa inſtituta, vt quomodo agendum ſit cum hoſte, diſcamus: quod docet Xenophon libro primo de Cyri Pædia: vbi Cyri pater, filium ſic interrogat. Quamobrem didiciſti ſagittis feras configere? quamobrem iaculari? quamobrem in ſeruitutem agere ſues agreſtes, & retibus, & foueis? Quid autem

autem aduersus leones, & vrsos, ex æquo constitutus pugnabat? sed meliore quadam conditione semper studebas aduersus eas bestias certare? non ne ut, si quando bellum esset gerendum, posses, & in hostes ictum dirigere; atque illos decipere, scires? Postremo quis nescit munus regium esse malos, ac improbos homines, qui sunt uelut bestiæ immanes, quocunq; modo de medio tollere; procul à regno suo arcere? Ad hoc nos instruit venatio: vtilis igitur est politicæ, & viro rege digna: verum puto poetam hoc in loco respexisse ad scopum initio sibi propositum, laudandi Romanos à maioribus suis; quorum etiam studia sequerentur. Nam Romanis fuit consuetudo venandi, vt declarat Horatius libro primo epistolarum, Epistola decima octaua.

Tu cede potentis amici
Lenibus imperiis: quotiesq; educet in agros,
Aetolis oneratâ plagis iumenta, canesq;,
Surge, & inhumanæ senium depone camenæ
Cœnes tu pariter pulmenta laboribus empta;
Romanis solenne uiris opus utile famæ,

Vitæq; & membris. Laboriosa enim hæc exercitatio teneros iuuenum animos firmat: uires corroborat, & ad fortitudinem assuefacit: corpus reddit agile, & laborum patiens: bonam conseruat ualetudinem; & illustrem parit gloriam. Cum igitur Aeneas

 susti-

sustineret regis personam, & autoris Romani generis, ex arte poetica, oportuit illum hac uirtutę ornatum.

Consistit hic.

Peritum iaculandi Aeneam facit poeta: primò nanq; consistit; vt certus sit ictus, aureum, & sagittas arripit; ductores primum sternit; deinde reliquam turbam agit telis; nec omnes interfecit, sed tot solùm quot sunt naues: quia ubique temperantiæ, iustitiæq; debet esse memor princeps; nec ultra quàm oporteat, progredi. Itaq; numerum tantùm cæsorum cer uorum cum nauibus æquat; Et ex æquo diuidit sociis prædam: quod, si secus fecisset, intemperans & iniquus uisus esset. Hunc dicendi modum, Quintilianus libro octauo, capite tertio, appellat ἐνάργειαν: quæ rem ob oculos ponit. præcipuamq; ornatæ ora tionis virtutem existimat; quæ res, de quibus loqui mur, clarè, atque ut cerni videantur, enuntiat. Non enim satis efficit, neque, vt debet, plenè dominatur oratio, si usque ad aures ualet: atque ea, qui audit, narrari credit, non exprimi; & oculis mentis ostendi. Cùm enim legimus hæc carmina, statim oculis nostris subiiciuntur gestus omnes iaculatoris optimi, & imago ceruorum, tum occisorum, tum fugientium. Et quia in uersu Heroico nihil humile debet esse (& uerba translata, & producta grandem

efficiunt

efficiunt orationem) Virgilius ad rem augendam, & cum dignitate exprimendam, ab hominibus, & belli ducibus, per trãslationem nomina sumpta, ceruis attribuit. Nam dixit ductores, quod est productum nomen, & multò magis implet aures, quàm si dixisset, duces: & est ab Imperatoribus exercituum ductum; ut in secundo dixit.

Ductores Danaum:

Et à præcipua corporis parte hos describit, cum ait,

Capita alta ferentes.

Vbi collisio illa earũdem uocalium, magnitudinem ceruorum extollit: vt paulò inferius.

Scænis decora alta futuris.

Arborea, Cornua, Vulgus, Turba,

Omnia sunt translata uerba: Et hyperbolen habent.

Arborea Cornua.

Et Arboreum verbum est innouatum ab arbore, innouata uerò Heroico carmini aptissima docet, Aristoteles de poetica. Neque hoc loco recedit poeta ab Homero suo: qui lib. nono Odysseæ sic cecinit.

αὐτίκα καὶ αἰγανέας δολιχαύλους.
εἱλόμεθ' ἐκ νηῶν. διὰ δὲ τρίχα κοσμηθέντες
βάλλομεν αἶψα δ' ἔδωκε θεὸς μενοεικέα θήρην.

Secutus est quoque τὸ εἰκός, in curandis ad uictum necessariis. Panis enim primò paratur; deinde obsoniũ: tertiò uinum: quarto consolatio adhibetur. Quæ si

 aliter

aliter essent ficta & dicta, insulsa fuisset, & inepta oratio, & fictio.

Et dictis mærentia pectora mulcet.

Versus est ab Homero sumptus, libro decimo tertio Odysseæ.

αὐτὰρ ἐγὼ διὰ νηὸς ἰὼν ὤτρυνον ἑταίρους
μειλιχίοις ἐπέεσσι παρασταδὸν ἄνδρα ἕκαστον.

O socii (neque enim ignari sumus ante malorum)
O passi grauiora, dabit Deus his quoque finem.
Vos & Scyllæam rabiem, penitusq; sonantes
Accestis scopulos: uos & Cyclopea saxa
Experti, reuocate animos, mæstumq; timorem
Mittite: forsan & hæc olim meminisse iuuabit.
Per uarios casus, per tot discrimina rerum
Tendimus in Latium; sedes ubi fata quietas
Ostendunt: illic fas regna resurgere Troiæ.
Durate: & uosmet rebus seruate secundis.

Cùm omne intempestiuum (vt ait Isocrates) tristitiam afferat, poetis auditorum uoluptatem, quærentibus, primum omnium oportunitas rei, quam imitatione volunt expressam, est obseruanda. Nam (vt ait Aristoteles libro primo Rhetoricorum) oportuna sunt iucunda: quod præcipuum artis poeticæ præceptum, hic non neglexit Virgilius: qui non antè fecit Aeneam socios suos consolantem, quàm optimum illis panem, uinum, & obsonium parasset. Nihil enim mole-

molestius,& ideo importunius,quàm fame hominē uexatum, ac ieiunum, verbis, & oratione detineri. Hinc manauit tritum illud sermone prouerbium.

Ieiunus uenter non audit uerba libenter.

Et Cato sapientissimus dicere solebat, difficillimum est, ad ventrem auribus carentem uerba facere. At parato cibo,& corpore curato,libenter homines audiunt,quicquid dictum fuerit: sed id multò libentius,quod afflictis rebus spem afferre videatur.Item cum corpus cibo,animus oratione pascatur,utrunq; adhibendum fuit Aeneæ, ad socios in spem erigendos,& corpore,& animo fessos. Hoc etiam significauit his uerbis poeta, principem oportere, cum corporis,tum animi eorum,qui suo sunt in imperio,curam habere. Ad intelligendum autem orationis Aeneæ artificium,tria sunt consideranda:quibus omnē constare orationem,ait Aristoteles libro primò Rhethoricorum, ὁ λέγων, ὁ ἀκούων καὶ τὸ πρᾶγμα. idest, persona dicentis,persona auditoris,& res ipsa. Persona dicentis,est Aeneas,Rex,fortis, pius, consolator:auditores, sunt Troiani Aeneæ comites, præteritorum malorum memores,grauiora passi, nunc tristes, timidi,suis rebus diffidentes: res ipsa, aduersa; ac ingens tempestas;nauium,& sociorum amissio,ac quò minimè uellent,delatos esse: ex Aeneæ persona perspicitur ἦθος fortis pii, & consolantis dolentes regis:

qui

qui in rebus horrendis, & aduersis est animo intrepido: qui debitum in suos facit officium: qui animos eorum mœstos erigit: qui spem præ se fert. Hæc an. omnia hic præstat Aeneas: Ex sociorum attributis trahitur affectus confidentiæ. Nam, qui sunt alias mala experti, qui passi sunt grauiora, ii suis rebus confidunt: Ex re ipsa eliciuntur argumenta consolationis, & fiduciæ, nam cõsolationem, & spem afferunt, quæ sunt ex Deo finem habitura, meliorem sortientur exitum; quæ sunt minora mala iis, quæ antè acciderunt; quorum memoria aliquando sit iucunda futura; cùm ita sit natura comparatum, ut magnis laboribus, ac ærumnis ad felicitatem perueniamus; quæ fata nobis promiserunt, & multò maiora sint bona futura, quàm mala præsentia; ubi regnum nobis promittatur: hæc, inquàm, omnia sunt spei, & fiduciæ plena, vt ait Aristoteles lib. secundo Rhetoricorum. Et hac ratione uidemus duo illa, tantopere, & ab Aristotele, & Cicerone commendata, in oratione, cum oratoria, tum poetica ἦθος, καὶ πάθος. Et hic quoq; breuis, sed perfecta consolationis ratio traditur; quæ constat quatuor partibus; commiseratione, qua cõciliatur beneuolentia; deinde sequitur quantitas, seu extenuatio mali; sed hoc obliquè magis significari, quàm dici debet; tertiò spes euentus, postremò adhortationes, & admonitiones ad constantiam; quæ

seruauit

ſeruauit hic Aeneas. Nam, cum appellat ſocios, & quaſi exclamat,& ſe unà cum illis æquat, & mala facit communia,commiſeratur; cum ait paſsi grauiora,extenuat præſens malum: quod tamen non nominat: cùm ait,

Dabit Deus his quoque finem:
Forſan & hæc olim meminiſſe iuuabit. Et
Tendimus in Latium ſedes ubi fata quietas
Oſtendunt: illic fas regna reſurgere Troiæ.

Oſtenditur exitus felix futurus. Hortationes ſunt,

Reuocate animos, mæſtumq; timorem
Mittite Et
Durate,& uoſmet rebus ſeruate ſecundis.

Præterea cum conſolantis oratio debeat eſſe lenis, ſententioſa, & amica; hac Aeneæ oratione nihil dici poteſt magis amicum animis auditorum;qui cùm ſint inferiores, ſeſe æquales regi ſuo, regis ipſius oratione,fieri audiunt: nihil item lenius iis uerbis,

O ſocii, ò paſsi grauiora,

Et reliqua,quæ ſequuntur. Sententiarum eſt plena: quæ conſulentibus, & conſolantibus in primis conueniunt, ut ait Ariſtoteles libro tertio Rhetoricorum: vt,

Dabit Deus his quoque finem,
Forſan & hæc olim meminiſſe iuuabit,
Durate,& uoſmet rebus ſeruate ſecundis.

Quando

Quando uerò qui consolatur, suadet incommodum, quod accidit, æquo, & forti animo ferendum; nec ullo modo desperandum; consolatio refertur ad genus causæ deliberatiuæ: cuius generis hanc esse Aeneæ ad socios orationis, non est dubitandum: cuius finis est felicitas, uel saltem felicitatis pars. At maxima pars felicitatis, uel tota potius felicitas est, à Deo proprias, & à periculo vacuas sedes, & regnum, feliciaq; omnia tibi ostendi, ac parari. Summa propositio orationis est, non esse Troianis animum despondendum: sed metum deponendum, ac melius sperandum. Huius propositionis argumenta, sunt primò ab eo, quod fieri, & facilè fieri posit: nam qui anteà tulit aliquod incommodum, & malis fortiter ferendis est assuetus; fieri etiam potest, ut præsens perferat incommodum: & qui passus est grauiora, facilè patietur leuiora: Troiani tales sunt; non igitur illis fortunæ est succumbendum. Sed poeta, qui rectam dialecticorum rationem syllogismorum negligit, omittit eam propositionem, quam maiorem dialectici appellant. Et ideo primò arguit à facultate; quia in deliberationibus, ait Aristoteles, in primis videndum esse, num posit fieri. Alterum argumentum à fine malorum futuro; cùm ait,

Dabit Deus his quoque finem.

Tertium est ab antecedentibus periculis: quod vim habet

habet turpitudinis futuræ, si succumberent. Nam turpe est, cũ grauiora pertuleris, leuioribus succũbere. Quartum à iucundo, quod est à consequentibus: Iucunda est præteritorum malorum memoria. Quintum, à natura rerum bonarũ, quæ in difficili versantur: Et dici potest argumentum à causa. Sextum ab vtili, et honesto: quod est regnum à fatis monstratũ, & quietæ sedes: quod argumentum à fine potest appellari: quandoquidem perferimus omnia, vt vitam quietam, regnaq; consequamur, hoc est, vt in otio cũ dignitate, & in negotio sine periculo esse possimus. In sedibus quietis, est otium: in regno, est cum dignitate negotium: nam vbi est quies, ibi non est periculum: et qui vtrunq; habet, is habet, quod per beatos homines reddit, vt testatur Cicero in proemio primi libri de oratore; ex quo optimus orator, optimus consolator, optimus imperator nobis Aeneas probatur. Descripta est hæc oratio ex duodecimo libro Odysseæ: quo loco narratur, ingentem fumum, cum sonitu, præternauigata Sirenum insula, procul è Scylla, & Charybdi, ad Vlyssem, & eius socios peruenisse. Sed poeta noster extitit locupletior interpres: Vlysses nanq; vnã tantum connumerauit ærumnam; Aeneas, ad sperandam præsentis mali liberationem, gemini casus hortatur euentu; deinde ille obscuriùs dixit, hic apertiùs.

Forsan & hæc olim meminisse iuuabit.

Sed & hoc, quod noster adiecit, solatii maioris vim habet: suos enim non tantùm exemplo euadendi, sed & spe futuræ fælicitatis confirmauit, per labores non solùm sedes quietas, sed & regna promittens, Carmina Homeri sunt hæc.

ὦ φίλοι οὐ γάρ πω τί κακῶν ἀδαήμονές εἰμεν
οὐ μὲν δὴ τὸ δὲ μεῖζον ἔπει κακὸν ἢ ὅτε κύκλωψ
εἴλει ἐνὶ σπῆϊ γλαφυρῷ κρατερῆφι βίηφι
ἀλλὰ καὶ ἔνθεν ἐμῇ ἀρετῇ βουλῇ τε, νόῳ τε
ἐκφύγομεν, καί που τῶνδε μνήσεσθαι ὀΐω.

Quòd autem Aeneas septem nauibus portum subierit: reliquos è scopulo requisierit: quod sociorũ inopiã subleuarit; huc pertinet, vt intelligamus oportere reip. gubernatorem, omnes labores, omnia pericula subire, vt salutem eorum curet, qui sunt suæ fidei commissi: cum famẽ subleuauerit, oratione sunt consolandi, optimis præceptis ita imbuendi: vt admoneantur, ac persuadeantur, non esse tale hoc vitæ genus, vt in eo permanere velimus: sed omnes labores, ac difficultates esse superandas, vt in Italiam perueniamus; vbi tãdem sedes quietas inueniemus; vbi etiam Troia resurget. Nam cum vita voluptuosa ibi quæreretur, ea erat voluptas, quæ esset corporea, & caduca, & quam pænitentia sequeretur: in Italia summa erit voluptas à diuinarum rerum speculatione proueniens, quæ vera, quæ simplex, quæ perpetua,

quæ

quæ æterna est voluptas. Et hoc debet esse optimi Principis officium, vt cùm perspexerit, ciuilem administrationē humanæ indigentiæ tantùm cōsulere, nō autē diuinitati inseruire; ita in illa versabitur, vt, cùm humanæ necessitati cōsuluerit, suum, ac suorum animum ad diuina erigat; ad felicitatem diuinam seruet. Deniq; hæc Aeneæ oratio, animo in hoc corporis ergastulo luctanti, & ad suum principium aspiranti, aptissima est. hic enim in varios vitiorum scopulos impingit: in saxa peccatorū sæpe numero illisus, naufragium facit: in libidinem, ac turpes voluptates, dominante vetere homine, præceps ruit: qui tandē diuini numinis afflatu, subinde erigitur: & ad sese reuocatur, recordatione Latii cælestis, ad quod tendit, & cuius obliuiscitur, vitiis immersus: in alium hominem mutatur, & magno cū labore & curæ, huius vitæ curriculum metitur, dum ad finem suum, quod cælum est, reuertatur. Ita per varios casus, per mille pericula huius mundi, euadit ad beatas æterni regni sedes. Cum autem hic dicat de præteritis malis,

Forsan & hæc olim meminisse iuuabit.

Et in secundo.

Horresco referens, Et

Animus meminisse horret, luctuq; refugit.

Videtur sibi poeta eadem re agens, contrarius. Nam, & hic, & illic de malis præteritis intelligit. Hūc

nodum sic soluimus, vt dicamus, non omnium præteritorum malorum memoriam esse iucundam, sed eorum tantum, quæ nobis perpessis laudem afferũt: quæ vero ignominiam, & dedecus (vt Troiæ excidium Troianis afferre videbatur) afferunt, eorũ meminisse est molestum, & horribile. At genus hoc dicendi vber, ac plenum dici potest: quod fit, si ad id, quod inferendum est, vel concludendum, & copiã adiungimus verborum, & sententiarum pondus, cũ eorum expositione, quæ consequi dicuntur: & eo modo, vt ordo, qui solet in argumentatione seruari, peruertatur. Nam ante propositiones, quæ sequi deberent, assumptiones, ante vtrasq; rationes collocamus: quæ dicendi forma circunscripto quodam ambitu ducitur: eaq; de causa dicitur à Fabio circunducta, quam Græci περιβολὴν appellant: cõstatq; non magis uerbis translatis, uel quouis alio modo immutatis, quàm propriis: quæ pleraque hac in oratione inesse animaduertimus. Nam interiiciendo, perturbat poeta dicendi rectum ordinem; probationes collocat ante propositionem, cùm sententiarum pondere: & antequàm absoluat sententiam, longo verborũ ambitu vtitur: verba adhibet, cùm propria, tùm immutata, ac translata; vt accuratè legenti facilè est cognoscere. Notanda verò est hæc dicendi formula.

Ante malorum.

Pro, præteritorum malorum. Posuit enim aduerbium, quod vocant grammatici, pro nomine, quod adiectiuum nominant; Et hoc ad imitationem Græcorum puto factum. Illi enim dicunt, ἐν τῷ νῦν χρόνῳ, τοῦ πρὶν κακοῦ.

Talia uoce refert, curisq; ingentibus æger
Spem uultu simulat, premit altum corde dolorem.
Illi se prædæ accingunt, dapibusq; futuris:
Tergora diripiunt costis, ac uiscera nudant;
Pars in frusta secant, uerubusq; trementia figunt:
Littore ahena locant alii, flammasq; ministrant.
Tum uictu reuocant uires, fusiq; per herbam,
Implentur ueteris Bacchi, pinguisq; ferinæ.

PETRVS. Victorius, vir multæ lectionis, & doctrinæ singularis, in Commentariis, quos in Aristotelis Rhetoricen scripsit, ait eos falli, qui putant necessariam esse Oratori probitatem, ac morum integritatem: nam censet esse quidem illi oratione hoc efficiendum, vt auditoribus bonus videatur, & cui sit fides habenda: vt, & si vere ipse non timeat, si sit tamen causæ suæ commodum, sit illi efficiendum, vt timidum eum esse credant auditores. Idem præstare debet poeta, qui est oratori finitimus: vt, quas facit personas loquentes, eæ ita affectæ videantur, vt res ipsa, & tempus postulat: Hoc poetæ officium nō est hoc loco a Virgilio neglectum, Nam ex oratio-

ne superiori, quam Aeneas habuit ad socios suos cō solādos, visus est sociis spei, ac lætitiæ plenus; vt tùm res, & persona postularunt: nunc, cùm ipse loquatur poeta, vera loquitur de Aenea sollicito, & ægro: sed opportunè, ac sapienter, animi sollicitudinem, atq; ægritudinem simulante: ut in Aenea effectum perspiciatur, quod est poetis propositū, purgare affectus, hoc est, illis moderari, ut opportunè, cum uelis ex animo erumpant, & in animo comprimantur: Et (quod ad optimè imperandum caput est) ut quis non minùs sibi, quàm aliis discat imperare. Verùm hæc altiùs intuenti, apparet illud, quod scriptum reliquit Plato in dialogo de Regno; regem non sibi, sed aliis uiuere oportere, & esse optimi Gubernatoris persimilem, qui nihil aliud agit, nisi ut in portum nauim, nautasq; deducat: sic rex eò referre debet, cùm dicta, tùm facta sua omnia, quò suorum saluti consulat, & illorum causa multa simulet; multa conniueat. Quòd autem ait,

Curisq; ingentibus æger,

Significat, qua in re potissimùm regem oporteat cæteris præstare, cura scilicet, ac sollicitudine, ut ait Plato, in dialogo de Regno: & hoc est, quòd Achates semper datur comes Aeneæ:

Voce refert.

Pleonasmum appellat Seruius, quòd putet uacare dictio-

dictionem, *Voce*, ut illud Terentianum, Hisce oculis uidi Sostrata. Ego uero existimo, *Voce*, significanter, ac scitè appositam esse dictionem. Nam duplex est oratio; altera cordis, altera uocis: ut igitur indicaret, non, ut in corde habebat, sed uerbis, ac uoce tantùm, ita Aeneam locutum: quia utilitas, & fortuna suorũ sociorum ita tum requirebant, dixit, *Voce*: ac statim addidit, quasi hoc interpretans,

Spem uultu simulat, premit altùm corde dolorem:

Vel dicamus voce consolationis, & spei plena, ac vultu hilari: quæ sunt duæ pronunciationis (quæ in oratore pars est maxima) maximæ partes.

Simulat,

Ideo dixit, quia (vt ait Cicero libro secundo de oratore) debet orator referre eos motus, ad quos velit auditores adducere: vel potius, vt bonus rex, & imperator, hoc facit Aeneas: qui, ut possit milites suos confirmare, lætitiam præ se ferre debet: ut pluribus uerbis Onosander, & Frontinus libro secundo, capite septimo, præcipiunt.

Illi se prædæ accingunt.

Ea tum demùm est bene constituta Respub. in qua unusquisque suum facit officium. Summus itaque poeta, sciens sibi uniuscuiusque officium describendum, postquàm docuit Aeneam, & in parandis ad uictum necessariis rebus, & oratione ad meliorẽ spem

sociis

sociis suis erigẽdis, suas peregisse partes; quod dein ceps par erat, vt facerent socii animo erecti, nunc ita docet, vt rei nos spectatores faciat. Vbi primùm à consequentibus factis, & alacritate sociorum anteà tristium, probatur, quanta vis fuerit Aeneæ orationis; quæ sit finem suum consecuta, idest, auditorum assensionẽ: & œconomia est plane diuina, in parãdo ad explendam famem cibo. Nam à toto ad partes, & à communibus ad propria vnius cuiusque partis officia progreditur. Vniuersos enim in primis ponit socios, commune omnium officium, ac totam prædam, cùm inquit,

Illi se prædæ accingunt, dapibusq́ futuris.

Quia commune omnium fuit, sese ad prædam parare cibum illis futuram: & hoc pronomen *Ille*, complectitur omnes socios: & *Præda* significat totum id, quod venatione fuerat comparatum: cuius partes sunt Tergora, costæ viscera, frusta: pars, Alii diuisio est sociorum.

Tergora diripiunt costis,
Viscera nudant,
In frusta secant,
Verubus figunt,
Littore ahena locant,
Flammas ministrant: officiorum est distributio

Atq; omnia hæc ministeria, ex arte parandarum epularum

epularum ordine sunt descripta. Nam ceruis in uenatione stratis pelles primò detrahuntur; deinde illorũ viscera nudantur; tertiò in frusta secãtur: quartò verubus figuntur; quintò parantur ahena; sextò igni subiiciuntur. Vndè intelligitur, oportere poetã nullius artis esse expertem: & in cuiuscunq; rei descriptione, ab arte, naturaq; non discedere. Quid? quòd hic, quia ad necessitatem tantum, & famem explendam cibus paratur, nulla fit mentio delicatarum dapum, non sumptuosi apparatus, vel loci ornatus; vt sub finem huius libri fit, cum luxuriosum, & planè regium Didonis describitur conuiuium: quia hic locus, tempus, & personæ, ac recens naufragium necessaria tantùm requirebant: Illic Dido regina amans, ditissima, ad voluptatem omnia referens, Aeneas hospitio exceptus, Rex, à Didone amatus, requirebant luxuriosum, & apparatissimum conuiuium. Tu Lector optime vtriusq; conuiuii descriptionem leges: & artificium summi poetæ percipies. Et hoc vnum esse affirmare audeo, quod facit verum poetam: cuius qui fuerit ignarus, eum nomine poetæ indignum iudicat Horatius in de poetica libro, sic dicens.

Descriptas seruare vices, operumq; colores,
Cur, ego si nequeo, ignoroq;, poeta salutor?

Magnam verò partem eorum, quæ hic attribuuntur Aeneæ sociis, sumpsit Virgilius ex primo Iliados

 libro:

libro: vbi studium Apollini sacrificantium, Græcorum describitur.

αὐτὰρ ἐπεί ῥ' εὔξαντο, καὶ οὐλοχύτας προβάλοντο
αὖ ἔρυσαν μὲν πρῶτα, καὶ ἔσφαξαν, καὶ ἔδειραν.

Et reliqua, quæ illic pluribus explicantur.

Postquàm exempta fames epulis, mensæq; remotæ,
Amissos longo socios sermone requirunt:
Spemq; metumq; inter dubii, seu uiuere credant,
Siue extrema pati, nec iam exaudire uocatos.
Præcipuè pius Aeneas, nunc acris Oronti,
Nunc amici casum gemit, & crudelia secum
Fata Lyci, fortemq; Gian, fortemq; Cloanthum.

Non antè fecit Virgilius Aeneæ socios de amissis sociis solicitos, ac loquentes, quam famem expleuerunt: quia fames adimit homini uerba: exiccat enim uocis instrumenta: deinde qui malis propriis uexantur, aliena obliuiscuntur: non igitur ex decoro personarum, poterant antè de sociis amissis uerba facere, uel de iis sollicitii esse: Nam (vt ait Cicero libro primo de officiis) est omni animanti hoc à natura, cuius est imitator poeta, tributum, ut primò se uitã corpusq; tueantur; omnia quæcunq; ad uiuendum sint necessaria, acquirat, & paret, pastum, ut latibula, & cura quædam eorum, quæ à se sunt procreata, ut filiorum propinquorum, amicorũ. Hanc naturæ uim in Aenea, & sociis, exprimit summus poeta. Nam pri

mò

mo Antro, & portu se tutantur, quæsitis ad uictum rebus necessariis: deinde subit cura sociorum: In quo seruatur illud ἐφεξῆς: quod poetarũ narrationes semper habere debent, hoc est ordinem connexionemq; rerum antecedentium, & insequentium: quod declaratur uerbo illo, Postquàm: quo superiora cum inferioribus iunguntur. Vbi uidemus, quàm benè, ac sapienter, tumultuosum, ac sobrium conuiuium sine apto clauserit. Erat enim hoc paratum cõuiuium necessitatis tantum causa, & famis expellendæ: Et hac de causa scitè dictum est, Postquàm exempta fames epulis: quia hoc tantum requirebat tũ fortuna Troianorum: ideo nullæ sequuntur deinceps uoluptatum illecebræ: At sub finem huius libri, regium Didonis conuiuium, pluribus uerbis, & uoluptatũ irritamentis sic claudit.

Postquàm exempta fames epulis, mensæq; remotæ,
Crateras magnos statuunt, & uina coronant.
Fit strepitus tectis: uocemq; per ampla ualutant.
Atria, dependent lychni laquearibus aureis
Incensi, & noctem flammis funalia uincunt.

Imitatus est Homerum, & hoc in loco, qui, libro duodecimo Odisseæ, facit in solis insulam delatos Vlyssis socios, ac cibo, potuq; refectos, sociorũ amissorum naufragio, casum quærentes.

αὐτὰρ ἐπεὶ πόσιος, καὶ ἐδητύος ἐξ ἔρον ἕντο.
μνησάμενοι δ᾽ ἔπειτα φίλους ἔκλαιον ἑταίρους.

Spemq; metum inter dubii.

Duo hic contraria in Aeneæ sociis demonstrantur fuisse, ea timoris ratione, quam Aristoteles docet libro secundo Rhetoricorũ: quia timentes nunquam sunt sine spe; & ea timentur, quæ aliquo modo sit spes cauendi: ideo hic timent, & sperant Aeneæ socii.

Præcipuè pius Aeneas.

Poeta decori vbique memor, ut Aeneam principem virum, præstantissimum initio descripsit, sic ubique seruat, & maxime in iis, quæ ad pietatem spectant. Nam, ut cæteris præstabat dignitate, sic præstabat in suos, & pietate: quod hoc verbo Præcipuè declaratur. Si quis autem dixerit in decorum esse fortem uirum Aeneam, & qui deberet alios à mœrore auocare, gemere respondemus, illum non sua causa dolere, nec amicorum mortem, sed genus mortis gloria carentis gemere: & superius est à nobis, ex Aristotelis sententia probatum, hac ratione in fortem virum gemitum cadere: & secum gemit Aeneas, non cum aliis, quibus cum spem vultu simulat.

HABES optime princeps, meas in primum Aeneidos Virgilii librum explicationes, inchoatas illas quidem, sed tamen candido lectori non inutiles futuras. Quæ restant, cùm primùm per publicum docendi munus mihi licebit, absoluentur: ac altero uolumine tuo nomini edentur.

Index notabilium, quæ in HOC OPERE CONTINENTVR.

A

Amoris

Causæ

Exordia

N

O

Orpheus

Poetæ

Poetis

Q

QVOMODO Aeneas verè venerit

GG

Versus

FINIS.

Pagina 9. actionum, lege actionis. poeticæ, poetæ. 17. exemplo, templo. 18. annis, mensibus. 21. apte, aptè. 31. seque, séque. 31. leuibus, læuibus. 37. sæpæ, sæpè. 37. quæ bis, bis quæ. 39. sentit, sensit. 39. synalephe, synalæphe. 41. diciq;, diciq;. 41. contemptis, contemptus. 46. Odissea, Odyssea. 49. Arpiam, Harpyiam. 64. sunt, furit. 76. sensi, sensim. 100. apuellant, appellant. 121. quodquæ, quodque. 129. sinatambitione, sinat ambitione. 137. honorem, horrorem. 151. dicant, discant. 165. excitaudam, excitandam. 168. aurcum, arcum. 202.

Ego Frater VINCENTIVS Bononiensis Vicarius Sanctissimæ Inquisitionis, concedo ut retroscriptum Librum imprimi possit, & in lucem dari.

